

DE

INSULA NAXO

THESIM

proponebat Facultati Litterarum Parisiensi

ERNEST DUGIT



LUTETIÆ PARISIORUM

APUD ERNEST THORIN, LIBRORUM-EDITOREM

58, Boulevard Saint-Michel, 58

MDCCCLXVII

DE INSULA NAXO


DE

INSULA NAXO

THESIM

proponebat Facultati Litterarum Parisiensi

ERNEST DUGIT



LUTETIÆ PARISIORUM

APUD ERNEST THORIN, LIBRORUM-EDITOREM

58, Boulevard Saint-Michel, 58

MDCCCLXVII

Nice. — Typ. V.-Eugène Gauthier et Ce, descente de la Caserne, 1.

DE INSULA NAXO

PARS PRIMA

DESCRIPTIO GEOGRAPHICA ET ARCHÆOLOGICA

I

INSULÆ MONTES — PARTIS OCCIDENTALIS ET MERIDIONALIS DESCRIPTIO

Si quis, poeticarum descriptionum memor, quas olim, dum litteris antiquis studebat, admiratus est, Ægæum mare præternaviget, sponte semet interroget quænam sit græcis historiarum aut carminum scriptoribus adhibenda fides. Ita enim immutata videtur locorum facies, ut vix credi possit vera fuisse quondam quæ de insularum, hodie omnino nudarum ac sterilium, fertilitate et amœnitate commenti sunt. Dextra lævaque assurgunt, mira quidem formarum

elegantia, purissimo aere circumfusæ coloribusque tenuissimis ad oculorum delectationem indutæ terræ [1], sed ubi nihil viride, nihil lætum luxuriet. Impendent abruptæ fluctibus rupes, inque auras eriguntur montes nudi, qui vix pecoribus pabula jejuna præstare posse videntur. Syros enim, quæ ab Homero [2] εὔβοτος, εὔμηλος, οἰνοπληθής, πολύπυρος, dicebatur, nil nisi saxa, sine aqua, sine humo, præbet, ubi vix paucæ crescant arbores. Delos autem de cujus laudibus nullus poeta conticuit, ea est siccitate ut nemo ibi diem unum commorari possit, nisi præcaverit ut ex proxima insula aqua ad potum necessaria sibi afferatur.

Nec aliter et Naxos, cujus fertilitas, Bacchi benignitati attribuenda, innotuerat, oculos præternavigantium primo aspectu sterilitatis offendit. « Quamvis, ait Tournefort [3], Naxos una ex amœnissimis Cycladum sit, nobis primum ea visa est quæ tristitiam magis quam gaudium moveret. » Assurgit enim in montes quorum cacumina, a navigantibus longè prospiciuntur :

Bacchatamque jugis Naxon, viridenque Donysam,
Olearon, niveamque Paron, sparsasque per æquor
Cycladas, et crebris legimus freta consita terris [4].

Quum vero illi a septentrione ad meridiem procurrant, littori orientali propiores quàm occidentali,

(1) Alexis de Valon, *Ile de Tinos. (Revue des Deux Mondes*, 1843.)
(2) *Odyss.*, xv, 402.
(3) *Relat. d'un voyage dans le Levant*, tome I, p. 254.
(4) Virgile, *Æn.*, vii, 125.

innumeros utrinque ramos extendunt in quibus Syeniti lapidi superimpositum marmor.

Præcipua juga *Coronis*, *Phanari* et *Zia* (1) : maxime autem arduum *Zia* (2), id est Jovis culmen, quod e fluctibus in tria circiter pedum millia erigitur. Inde, quasi naturali e specula, insulam totam, cujus medium tenet, circumspicere est. Ad occasum solis jacet *Drymalia* vallis, in quâ tredecim pagi, albis tectis conspicui, inter oliveta et quercus interlucent. Longius vero, ultra humile collium jugum, *Sangri* planities jacet, et mari terminatur. Ad septentrionem montium tractus sese extendentes ita sinuoso flexu curvantur, ut *Phanari* et duplicem *Coronidos* verticem aspicias. Pars autem ad meridiem obversa varias ostendit montium colliumque altitudines, certis quasi gradibus usque ad mare descendentes. Orientalem regionem torrentes aquæ et præcipitia tenent. Si quando purus est aer, solitaque nubium vela a montis vertice recesserunt, patet immensa in spatia prospectus, et, ultra « *interfusa nitentes æquora Cycladas* (3), » littora Cretæ Peloponnesique, extrema etiam Asiæ Minoris promontoria, insulasque Chion et Samon attingit.

Periere, quibus quondam opertus erat mons, ilicum et fagorum silvæ, quasque se vidisse affirmant elapsis proxime seculis Piacenza (4), et Ignatius Lichtle (5).

(1) Fiedler, *Reise durch Griechenland*, II vol. Naxos.

(2) *Expédit. scientif. de Morée*, sect. des sciences physiques, vol. II, 1re partie, p. 62.

(3) Horat., *Carm.*, I, 14, 19.

(4) *Egeo redivivo :* Nicsia (in-4°, Modène, 1688).

(5) *Descr. de Naxos*, manuscrite.

Nulla enim earum hodie manent vestigia, unaque res indigenarum sermonibus usurpatur, antrum quod Bacchidum dicunt [1]. Intranti patet naturalis specus, cujus aditum dumis lapidibusque obstructum ara obtinebat nunc diruta. Dextra, camera septem vel octo pedes elata; sinistra, fauces panduntur, quæ, tædarum incensarum luminibus illustratæ, diversissimas stalactitarum figuras, in personarum animaliumque bacchantium species, ostendunt. Contendunt Naxii nulli notum esse speluncæ hujus finem, in intimaque terræ viscera eam penetrare.

Quid autem sibi volunt desumpta ista ab antiquis religionibus et montis et antri vocabula ? Num qua Jovis et Bacchi memoria apud insulares per tot annorum seriem, his locis commissa duravit, an recentiorem originem hæc nomina, vel ex fortuito casu vel ex aliqua doctorum hominum auctoritate ducunt ? Quod quidem ad antrum attinet, nulla humanæ artis vestigia manent quæ fidem faciant olim numinibus sacratum fuisse adytum, neque alia est causa cur Bacchidum mentio facta sit, nisi mira formarum varietas, splendorque stalactitarum, quoties tædarum lumina parietibus illudunt. Est et in Antiparo insula antrum ejusmodi, multo et altitudine, et mira imaginum diversitate splendidius, in quo etiam antiquæ inscriptionis exstant reliquiæ, quod tamen nulli numini adscriptum est. Monti autem hinc nomen inditum esse credo. Si

(1) Fiedler, l. c.

quis ex culminis occidentali latere, Aperanthon versus, descendat, brevi in ipso itinere rupem ingentem offendet, viæ impendentem. Cujus sub fornice hæc leguntur, veteribus litteris exsculpta, ὅρος Διὸς μηλωσίου. « finis Jovis ovium custodis (1). » Unde, qui antiquarum rerum periti erant, templum Jovis his in locis exstitisse arbitrati, templi illius nomine montem ipsum designaverunt. Sic in Attica (2), mons Parnes hodie vocatur Ozia sive Zia, ob repertum in vertice ejus quoddam Jovis fulgurantis (Διὸς ἀστραπαίου) templum sive altare.

Sunt tamen qui aliam originem huic vocabulo « *Zia* » attribuant, contendantque id esse ex prisco insulæ nomine, quæ *Dia* dicebatur, desumptum; inde, quum invaluisset consuetudo insulæ Naxi appellandæ, vetus nomen loco ejus eminentissimo eidem et sacerrimo, ubi degisse Jupiter ferebatur, semper mansisse (3). Sed prior opinio probabilior videbitur, si quis secum reputaverit quam sit vulgatum, ut apud omnes latinæ originis populos, ita apud hodiernos Græciæ incolas, ea rerum vocabula, quæ ab antiquis linguis habeant, non ex nominativo, sed ex accusativo casu trahere, ut « ὁ πατέρας » pro « ὁ πατήρ, » « ἡ μητέρα » pro « ἡ μήτηρ »; dici soleat (4). Cujus rei si exempla adhibenda sunt,

(1) Tournefort, I, p. 262. — Bœckh, *C. I. G.*, n° 2418.

(2) Hanriot, *Des dêmes de l'Attique*, p. 108.

(3) Ross, *Reise auf den griechischen Inseln*, t. I, p. 48, cum quo consentit Tournefort, I, p. 262.

(4) Quam rem Ross ipse testatur, *op. cit.*, 42.

ne Parnethem Atticum, Ozia dictum, rursus commemorem, est ipsa in Naxo locus qui, ex reperta inscriptione Apollini sacra, Ἀπόλλονα vocatur. Tum nullum novimus montem quem veteres Zia, sive Dia dixerint. Est autem nobilis *Drios* et Jovis occulta educatione, et Bacchi cum Ariadna nuptiis [1]. Cui autem montium, nisi omnium altissimo et præcipuo, divini hospitii honor referri poterat? ex quo alio facilior novæ Deæ fuisset ad cœlum ascensus? Hoc igitur mihi constare videtur, montem, qui hodie Zia dicitur, eumdem esse qui, apud veteres, a poetis sacris sub nomine Drii decantatus est, hodiernumque nomen ex illa, quam memoramus, inscriptione habuit. Templi autem, quod in monte summo fuisse fama est, nulla unquam reperta sunt vestigia, nisi quis, cum Pash de Kriene [2], credat ea saxa, quæ Bacchidum antri aditum impediunt, templi esse rudera. Hoc enim ille etiam addit, tam mirabiles esse stalactitarum columnas, ut haud immerito hominum arti assignari possint. Inscriptio autem illa qua Jovi mons consecratur, manifeste demonstrat hunc illum esse Drion, quem scimus Tonanti, ut pote in quo educatus olim latuerit, dedicatum.

Monti Zia conjunctus est *Phanari,* qui Medio Ævo *Stellida* vocabatur [3]. Ut vero Italice « Stellida, » quasi

(1) Ross, *op. cit.*, I, 43. — Aglaosth, *Ναξιακά,* fragm. histor. græc., Didot. — Diodor Sic., v, 51.

(2) *Breve descrizione dell'Arcipelago,* Nicsia, p. 64.

(3) Piacenza, *op. cit.*, p. 538.

parva stella est, ita Phanari, hodierna Græcorum lingua, laternam, sive tædam significat. Verisimile est igitur hanc monti ex eo venisse appellationem, quod facem quamdam ac quasi pharum gereret, quæ circumjectis locis per umbras noctis affulgebat. Quum autem soleant Græci in ecclesiis suis perpetuum lampadis ardorem [1] ad Virginis Mariæ honorem oleo nutrire, et in vertice montis hujus, sicut in fere omnibus Græciæ cacuminibus stet ecclesia parva, ex sacræ lampadis fulgore qui per apertas fores procul aspici poterat, nomen Phanari ortum esse haud improbabile. Tum in lateribus summis manent adhuc circuitus lapidei vestigia, ubi pastores greges suos noctu continent. Ii autem, ad depellendam noxiam et sibi et suis uliginem, focum magnum accendunt, quo igne omnia late illustrantur. Haud absurdum est etiam credere hic exstitisse olim, ante duo secula, castellum, ad vicinorum locorum tutelam exstructum. Juncti enim intrita lapides, et solidioribus muri fundamentis innixi quam qui tantum ad pecora a frigore protegenda destinati fuerint. Illo igitur tempore, quod nunc ex pastorali igne, idem ex castelli fenestris emicabat montis eponymum lumen.

Restat ut de tertio culmine, *Coronide*, disseramus, quod maxime septentrionale est. Id, sicut et Phanari, occidentem versus, arduum est ac præcipiti saltu in subjectam vallem cadit. Erat olim castanearum et ili-

(1) Tournefort, I, 274.

cum ferax, silvarumque in quibus latebant sues et cervi. Quanquam ante triginta annos Ross earum vestigia a se deprehensa dicit, nullum nunc manet, nec ulla alia oculos detinet planta, nisi elatior abundantiorque, quam ceteris in locis, filicis species. Orientale montis Coronidos latus specum habet quo hodie pastores pecudesque, umbram et frigus captantes, conveniunt. Post vestibulum, aliquot pedes largum, patent tres cellæ, inter se angusto et depresso meatu conjunctæ, quæ consulto cameratæ videntur, non tamen ut ars humana manifeste appareat. Hocne unum est ex priscis illis sacrariis quæ rudi adhuc generis humani pietate nymphis heroibusque patriis dedicabantur? Tres enim sunt cellæ, quæ tribus Bacchi nutricibus respondeant, unaque earum, Coronis, nomen suum monti tradidisse credi potest, per tot secula asservandum [1] Sic in Parnasso Corycium antrum nymphis, in Helicone Trophonii specum heroi Thebano antiquitus consecratum; sic et in Ægypti rupibus excavata cernuntur adyta, eamdem ac Naxium illud formam referentia, tres ubi zothecæ, simulacris deorum parata receptacula, ex vestibulo uno lucem accessumque habeant. Nulla vero inventa est inscriptio, nullus insculptus lapis, qui certiora daret et de montis nomine et de sacrata nymphis sede documenta.

Ex medio illo montium tractu plurimi rivi torrentesve in campos et valles jugis interjacentes fertili-

(1) Ross, *op. cit.*, I, 38. — Lichtle, *Nax.*, *descript.*

tatem portaturi descendunt. Præcipuus eorum, qui ambitiosius *Fluvius* (ποταμί) audit, duorum rivulorum concursu conflatus, circumfusam urbi Naxo planitiem irrigat, inque mare paulo infra muros effluit. Planities illa, totius insulæ longe amplissima pinguissimaque, nomine proprio planities (« *Livadia* ») dicitur, quasi quæ ibi una sit hac appellatione digna. Sensim a pede montium usque ad salsas littoris paludes declivis, ac propemodum rotunda, patet in latitudinem quinque millia, in longitudinem sex millia passuum. Miræ autem est fertilitatis; quanquam enim Boreæ et Zephyri flatus elatis arboribus vitibusque noceat, quæ non nisi muri alicujus obtentu crescant, tamen, nullo unquam lætamine refecta, nec satis bene arata, fert quotannis alteram segetem. Nempe ubi maturuerunt hordea, seruntur herbæ, phaseoli, pisa, fabæ, aliæque hujus modi, quæ ante hiemem fructus dedere. Ad extremam autem planitiem, qua collibus primis jam arcetur ventus, omnes fructiferarum arborum species cum aureis malis olivisque horti irrigui alunt.

Ad meridiem Livadiæ, pone humilem collium tractum, in exiguum campum expanditur anfractus quidam, *Cataracti* dictus. Vocatur campus ipse *Placa*, sive *Pliki*, id est planities exigua, xylo colendo aptus (1). In medio ejus, ubi aliquantulo editior est locus, stat turris hellenica. Quadrata est, duodecim vel quatordecim etiam nunc pedes alta, qua parte mi-

(1) *Pliki* vocant eam planitiem Tournefort, I, 261; Piacenza, l. c.; et Bruzen de la Martinière, *Dict. hist. géog.*, VII, Naxos.

nime diruta fuit. Murorum frons utraque ex syenitis lapidis molibus conflata, sine mortario inter se junctis, apparatu tantum non normali. Subinde interior facies exteriori per longas octo vel novem pedes trabes lapideas religatur, quas nos *parpaings* nuncupamus, reliquumque interjecti in medio spatii implent farturæ. *Emplecton* igitur est opus, primisque hellenicæ artis temporibus attribuendum, ubi quadrata saxorum cæsura invalescere cœpit. Non videtur hæc turris muris munimentisve ullis adjuncta fuisse, quibuscum urbis vel pagi munimentum effingeret, sed sola in medio stetisse, agricolis familiisque colonorum paratum perfugium, si qua ingrueret piratarum subita incursio. Neque enim illa ætate, tutum erat mare, primusque in Ægæo navium usus ad prædam violentiamque fuit. Non autem in parvula illa planitie civitati locus erat; vix uni ex his, quas Græci vocant Ἐσχατίας, spatium patebat, villæque præpotentis hominis, qualem Lystadibus Telestagoram habuisse fama est.

Forsan et supra, ad extremun anfractus dorsum, qua leni clivo mons in campum extenditur, fuit olim vicus, eo in loco qui nunc *Tripodes* dicitur. Unde enim hæc venerit appellatio ? Quo miraculo antiqui hujus instrumenti nomen pago, eidemque præfecturæ maximo, applicatum fuerit ? Verisimile est a primis agri illius colonis inventos esse tripodas aliaque hujus modi, quod, fama vulgatum, in designationem loci verterit. Tum animadvertendum est non solum hoc Tripodum nomen ibi, sed etiam anfractus Cataracti et agri Placos,

et vicini campi Polichnis vocabula a vetustiore linguâ esse desumpta ; nulla autem talia vocabula occurrere nisi ubi reperiantur et alia antiquitatis vestigia ; ita ut, altero documento alterum confirmante, haud pro dubio sit has olim cultas fuisse frequentatasque sedes. Turris vero non ad ruris circumfusi solum tutamen, sed etiam ad tegendam eam urbem ædificata videtur.

Post hanc Placa planitiem, ultra humiles colles, turris Venetianæ ruderibus et pistrino conspicuos, patet altera multo major quæ in mare duo promontoria, in modum cornuum extendit. In uno, quod *Kouroupia* vocatur, exstant adhuc turris · Hellenicæ disjecta fundamenta, in altero Medii Ævi castellum prope solo æquatum. Ad imum campi angulum, qua montes incipiunt, surgit domus munita, nomine *Oskelo*. Omnia hic concurrunt ut credamus his in locis exstitisse olim unum ex præcipuis insulæ pagis. Primum satis amplum datur spatium ; tum inter utrumque promontorium, si non portus, statio certe est quo naves appellere poterant; denique ea inveniuntur vestigia per campum, quæ non nisi pago maximo, ac tantum non urbi, congruunt. In septentrionali planitiei parte, quæ *Rhoudies* nominatur, stat parva ecclesia, sub sancti Psyma invocatione, fere tota ex veteribus lapidibus ac marmoribus conflata, quæ incolæ ex longinquis locis certe non petierunt. Quo si intraveris, stat ante oculos columnæ quoddam fragmentum, cui imposita est tabula ad sacra facienda utilis.

Columnæ inscriptæ sunt, in longitudinem, vetustissimarum formarum litteræ, rudi adhuc manu exaratæ. Versus nunc a sinistra, nunc a dextra incipiunt, qui scribendi modus *Boustrophedon* dicitur. Viginti circiter sunt versus, ex quibus unum verbum manifeste interpretari potui, Deæ scilicet Minervæ nomen, Ionice scriptum, Ἀθήνῃ. Inde apparet non eam esse urbem, ut voluit Ignatius Lichtle, in qua Persæ, ante Medica bella, ab obsidione Naxi repulsi, exsules illos divites reliquerint, quos in patriam restituere armorum vi tentaverant. Longe antiquior enim illa ætate est scripturæ hujus species. Pone *Kouroupia* promontorium desinit vallis, *Sancti Stephani* dicta, ab Zia monte incipiens, cui contingit larga fecundaque *Sangri* planities, suavissimis et abundantissimis aquæ fontibus irrigua. Huic supereminet castellum, inter ea quæ Media Ætas reliquit, egregie servatum, *Paliri* nomine. Triplici muro cinctus, una porta intrantes admittit. In media interioris cinctus parte stabant Latinorum ecclesiæ cum domibus Venetianorum principum : reliquum spatium Græci tenebant.

Tota insulæ pars, quæ inde ad meridiem sita est, nil aliud præbet, nisi valles montibus collibusque implicatas, quæ plures menses quotannis aqua destitutæ sunt. Ibi jejunæ tantum crescunt segetes, quæ male votis agricolarum respondent; vagantur huc illuc ovium capellarumque pecora, pastoribus vel sub dio, vel frondeis sub casulis degentibus. Tres pagi tota in regione occurrunt, iidemque perexigui. *Achatos* fert

cotes, lapidesque eos, poliendis marmoribus gemmisque utiles, qui vel ex insula vel ex quadam Cretæ urbe, Naxii dicuntur. *Calados* Medii Ævi castello conspicuus [1]. *Distomo* nomen habet ex veteri quadam cisterna quæ duplici ore, rotundo utroque, aquam ministrat.

Haud procul, ita ut credas hic exstitise antiquitus satis amplam villam, Ἐσχατίαν scilicet [2], stat turris pulcherrimi ac vere hellenici apparatus [3], candido marmore, rotunda, nunc etiam triginta quinque aut quadraginta pedes alta [4]. Porta meridiem versus sita, 1m25 lata, 1m70 alta est. Parieti adversæ infixi sunt scalæ semirutæ gradus, per quam ad tabulatum, crebris fenestris apertum, ascendebatur. Muri tres pedes lati, in quibus nonnulli inferiorum pilarum lapides duorum pedum altitudinem, quinque vel sex pedum longitudinem habent. Quibusdam etiam insculpta leguntur signa, ordinem et locum cujusque hominibus indicantia, N, O, X, O, Λ, XI, etc. Turris autem diametrus, duorum et viginti pedum est ; expressiones lapidum exterius multum eminentes, coloremque splendidum illum traxerunt quo sol rui-

(1) Dapper, *Descr. exact. de l'Archip.*, et Piacenza, l. c., hoc castellum *Castel d'Ostro* vocant

(2) Ross, *Op. cit.*, 43, inventa ibi hellenica sepulcra memorat.

(3) P. Sauger, *Hist. des ducs de Naxos*, p. 397, hanc turrim *Khimavo* dicit.

(4) *Transactions of the royal society of litterature* : 2a série, vol. II, 2a pars, p. 160, turris descriptio et imago. cf.

(5) *Expéd. scient. de Morée*, Archit., Sculpt., vol. III, p. 69.

nas antiquas in Oriente induit. Primo nullum fuit inter lapides mortarium ; postea autem, ut roboraretur opus, additum est. Sicut turris illa, de qua supra mentionem fecimus, hæc quoque stare sola, nullo adjuncto murorum cinctu, videbatur, proderatque ad villæ vel paguli vicini tutamen. Neque enim in tam sterili regione urbs ulla, aut pagus, qui dives esset, existere potuit.

II

ORIENTALIS PARTIS DESCRIPTIO

Orientalis insulæ pars longos profundosque montium anfractus præbet, torrentium alveos qui æstate sicci, hibernis pluviis exundant. Eorum latera hordei linique segetibus consita ; sed præcipuæ horum locorum opes in metallis [1]. Hinc enim cotes extrahuntur omnium optimæ, labore facili et fructuoso. Maximus omnium anfractuum *Aperanthon* urbem continet, expanditurque in parvulum portum cymbis aptum, quæ cotes exportant ; ab illo autem ventum Boream arcet promontorium quod τριάκανθα, vel τριάγκαθα, id est « tridens, triacutum, » dicitur. Aperanthos, quem pagum Dapper et Tournefort *Perato*, Pia-

(1) *Expéd. scient. de Morée*, section des sciences physiques, vol. II, 1re partie, p. 61,

cenza *Aperato,* appellant, editissimo loco situs, ideoque paulo frigidior, nihilominus vites gignit Baccho dignas. Baccheum igitur incolæ suum hodie dicunt vinum, quod forsan olim Biblinium erat, si quidem Biblos Naxia urbs fuit, non Thracia.

In uno ex montibus qui ad orientem meridiemque Aperanthi sunt, stat monasterium, sub invocatione sancti Joannis Phosphori (ἅγιος Ἰωάννης φωτοδότης), eo conspicuum, quod duas columnas ex ophite marmore continet Augustæ cujusdam Constantinopolitanæ, ut fama est, donum. Cujus vero illæ sint ætatis ex opere et arte jam non satis apparet. Mirum autem primo videtur tantas moles, in eam altitudinem, ex urbe tam longinqua advectas esse, immensæ impensæ laborem, neque cum imperii miserabili statu congruentem. Verisimilius est igitur, eas ex ophitis marmoris lapicidinis, quæ in insula atque in ipso quasi loco sunt, excisas esse; tum nullius Byzantinæ Augustæ dona, sed vetustioris ætatis opera fuisse. Quo enim anno prima monasterii fundamenta jacta sunt, nullum jam erat Orientalis imperii nomen, quippe anno 1497 erigi ædes cœptæ sunt, quod ex inscriptione murali constat. Ergo conjici potest, hoc ipso in monte exstitisse priscis temporibus templum, unde columnæ illæ in ecclesiam translatæ sunt. Non enim quinto decimo ævi nostri seculo, eæ erant Græcorum artes quibus tanta pondera ex imis lapicidinis in montis verticem integra eveherentur, neque, si res fieri potuisset, opes suppetebant. Quod autem hoc

templum fuit ? Cujus numinis? Si conjici ratione potest, Apollinis. Scimus enim in multis Græciæ locis [1], in templi antiqui locum successisse ejus sancti sacellum, cujus vel vita vel munus, vel etiam nomen cum prisco numine optime congrueret. Sic sancti Heliæ sacellum Solis ædem excepit, Minervæ templum sanctæ Sophiæ, Constantini in urbe, ecclesia : Mars sua sede a sancto Georgio vel Demetrio dejectus ; aliaque multa hujus modi exempla referri possunt. Tum in alia insulæ nostræ parte, cujusdam Sanctæ sacellum est, olim frequentatissimum, Artemidos vocatæ, recepta in beatorum cœtum, nescio quo jure, illa Apollinis sorore. Hic igitur, in memoriam Phœbi, qui luci præest diemque mortalibus largitur, illud cognomen Joanni, non alias auditum addiderunt Græci, « luminis dispensatorem; » sive Evangelistam, sive potius Baptistam, Christi præcursorem, in animo habuerint.

Multo honore apud Naxios Phœbus, ut apud Græcos omnes, colebatur. Tum vicina erat Delos, cujus nomen Apollinea quædam ædes in nostra insula referebat, et *Delion* dicebatur [2]. Pastorem Apollinem venerabantur Naxii ; namque præter Tragæum illum Apollinem de quo infra agetur, Macrobius [3] alterius etiam mentionem facit pecorum custodis, « ναὸς τοῦ ποιμνίου. » Inter ceteros qui munera Delphos mittebant, Naxii singulari pietate innotuerant. Exstat

(1) Hanriot, *Dêmes de l'Attique.*
(2) Andriscus, Ναξιακά, frag. hist. græc. Didot.
(3) *Saturn.*, I, 17, § 45.

etiam decretum Delphici concilii honores Naxio cuidam civi tribuentis qui de Deo bene meritus erat [1]. Altera inscriptio monstrat Naxios priscis temporibus ad oracula Pythiæ ante omnes admissos fuisse, quod jus iis, aliquandiu negatum, archonte Delphis Eubulo, restitutum tandem est [2]. Non igitur improbabile videtur, in orientalibus istis insulæ partibus templum aliquod Apollini consecratum fuisse, haud scio an Pastorale illud a Macrobio memoratum, cujus nulla alia jam indicia supersint, nisi geminæ in sancti Joannis ecclesiam translatæ columnæ.

Summa montium juga a vertice Phanariou ad Coronida peragranti, tota prope insula sub oculis extenditur. Quasi sub pedibus sinistrorsum videt amœnam valliculam *Kinidaron*, dextrorsum pauperem pagum *Skatton*, in angusto sinu depressum, sine aere, sine sole, ut ibi non maturescat uva. Progredientem longius excipit vicus *Comiaki*, torrenti impositus, quem platani et quercus umbra tegunt. Ejus autem aquæ, postquam aliquot molarum rotas impulerunt, in exiguum sinum maris effluunt, duobus quidem collibus ab Aquilone et Austro leviter protectum, sed contra eorumdem violentiam Eurique flatus minime tutum. Collis, qui ad meridiem obversatur, *Monachi* [3], « Ka-

(1) Rhangabé, *Antiq. Hellen.*, vol. II, p. 310, nº 717.

(2) *Inscriptions recueillies à Delphes* par MM. Wescher et Foucart, nº 466.

(3) Piacenza, *Op. cit.* Triplici nomine castellum vocat : *Monachi*, *Apollinis* et *Sancti Salvatoris*.

λογέρου » nuncupatus, castelli latini vestigia fert solidissimis muris, porta unâ, quam cingebant duo propugnacula instructi, cum cisternis puteisque multis et turribus quatuor angulos obtinentibus. Sed digniora ad quæ attendamus planities colli subjecta præbet. Effossæ enim ibi sunt [1] ad pedem alterius collis monetæ antiquæ, statuæ exiguæ fictiles, vasa, marmora exsculpta, sepulcra, aliaque humanæ artis exempla. Narrant etiam exstitisse marmoream lapidum molem in fluctus, ad arcendas a navibus procellas, procurrentium. Sed humanum opus vi maris superatum, saxaque disturbata.

Paulo altius, ipso in collis latere, inter dumeta ac vepres capellis gratum cibum præbentes, jacet nondum expolitum signum, in eo ipso loco, unde eruebatur marmor, relictum. Longa est statua $10^{m}60$; latum $1^{m}70$ pectus; brachium a cubito ad humerum $1^{m}90$ extenditur; videturque, etsi imperfectus appareat, remotæ antiquitatis labor. Habitus ejus, ut vetustissimi cujusque simulacri, rigidior. Stat enim nuda statua, cruribus compressis, pede sinistro paulum proeminente, brachiis corpori adhærentibus ad cubitum usque, unde cœperunt in pectus inflecti et mutuo implicari; oculorum cava receptacula tantum cernuntur, nasus eminet informis, rudis apparet inferior vultus pars, nec quidquam de ea affirmari potest nisi longam de mento pependisse barbam [2]. Insigne nullum adest

(1) Ross, *Op. cit.*, I, 41.
(2) Ross, *Op. cit.* 39, not 5, cum imagine statuæ.

unde statuæ nomen agnoscas: vulgo credunt Apollinem esse : eamque Ross cum eo Apollinis confert simulacro quod Teneæ inventum, veterrimisque ascribendum est. Tum ex eo quod multa similia habet cum Deliaco illo colosso cujus dedicatio (1) fragmentaque hodie exstant, conjecere id esse primum operis illius experimentum, ob quædam marmoris vitia derelictum (2). Quis autem barbatum Apollinem audiit? Haud satis attente simulacri vultum, qui ea scripsere, contemplati sunt. Si cujus enim numinis hæc est statua, Jovis certe est vel Bacchi, ejus qui Indicus cognominatur.

Nihil autem neque apud homines neque in rerum natura fit cujus nulla omnino reddi ratio possit. Nempe reperta est in altero collis ejusdem latere, in parte quæ anfractui parvo supereminet, inscriptio Apollinis nomen referens : ὅρος χωρίου ἱεροῦ Ἀπόλλωνος (3). Locus dicitur *Mandra*, id est ovile, litteræque, ut in montis Zia inscriptione, saxo magno inaratæ sunt. Inde illud *Apollona* nomen colli inditum, quæ appellatio ita a vertice usque ad radices montis et ad subjecta loca pertinet, ut et ager ille in quo effossa aliquot antiquitatis vestigia, et portus ipse Apollona ab incolis dictus sit. Hæc audiere viatores quorum narratio ad nos pervenit, sermonibus hominum amplificata, ru-

(1) *Expéd. scient. de Morée*, Inscr. de Délos.

(2) Pash de Kriene, p. 65.

(3) Sic emendat inscriptionem Ross perperam à Bœckhio editam (*C. I. G.*, 2419) ex Fauvelii autoritate.

moresque vanos, non satis perpensa auctoritate, neque re perspecta, nobis transmisere, quum pro imperfecto ac rudi colosso in lapicidinis jacente, statuam marmoream templumque magnificum, in quo sederet, erexerunt. Audiamus enim illum Buondelmonte, qui decimo septimo seculo Ægæum mare perlustravit [1] : « Quum ad occiduum verteris, templum magnificum erigebatur, in quo statua Apollinis consurgebat. » Piacenza eadem memorat anno 1688, eadem et Dapper anno 1702. Tournefort (I, 246) conjicit hoc esse templum quod Athenienses Apollini dedicaverunt in ea insulæ parte quæ Delo opponitur. Nulla autem in historiis templi hujus fit mentio, et, si quid simile ab Atheniensibus factum est, veri similius hoc ei loco assignandum est quem *Delion* vocat Plutarchus [2], quemque urbi propiorem indicat. Audacia autem ea, quæ non vidit, depingendi, vincit omnes Pash de Kriene, qui insulam anno 1771 peragravit. Sed eum multis de rebus credo hospiti suo, Patri Ignatio Lichtle, potiusquam oculis suis fidem adhibuisse; ipsum vero illum multa vel ex incolarum, vel ex magistri sui, P. Sauger, fabulis benigne accepisse, quorum non ipse veritatem expertus esset. Primum enim narrator noster Naxium illum colossum cum Deliaco illo altero miscet, quum Deli repertam inscriptionem Naxio operi falso attribuat, quod nullas

(1) *Liber Insularum*, XXXVIII, p. 97.
(2) *Mulier. virtut.*, 17.

fert litteras. Tum hellenicam originem castello Venetiano assignat, mediamque ejus turrem. in templum Apollinis effingit, quod, dirutum licet, statuam perfectissimi laboris continet [1]. Sauger putat Caloyerou castellum oppidum id esse in quo Aristagoras exsules Naxios, quos restituere in patriam nequiverat, priusquam Asiam repeteret, deposuit.

Non consensere cum eo hodierni rerum antiquarum indagatores, et quæsivere quid ex hac Mandræ inscriptione concludi posset. Ross (p. 40) memorat hanc a Stephano Byzantino citatam Tragæam urbem, in qua Apollo Tragæus adorabatur; putatque eam in septentrionali colli fuisse positam. Hinc illa effossa marmora, hinc ille portus, hinc et loci et, ut probabile est, templi ad Apollinem dedicatio.

Septentrionalis pars insulæ tota montibus anfractibusque, torrentium aquarum plenis, nunquam omnino deficientium, cooperta est. Una expanditur quæ dici possit planities, *Engares* vocata, duobus pagis spatium præbens. Hic, adversus maritimos flatus, longis cannarum altisque ordinibus defensæ crescunt arbores utiles, quæ amplum quotannis dant proventum. Inter Engares urbemque patet deserta ac siti exhausta regio, *Xirochori*, dicta, ita ut gratior sit venientibus hortorum viridantium umbra, rivorumque susurrantium frigus.

(1) P. 65. Ed è veramente un capo d'opera in materia di scultura o di un poco più che basso rilievo.

III

INTERIORES INSULÆ VALLES

Præcipua autem Naxi laus ex illis vallibus quæ inter eos montes patent quos circumivimus, littus totum perlustrantes. Maxima earum ac ditissima, ad montis Zia occasum sita, nisi per angustas fauces Sangri campis religaretur, omnino occlusa erat. Ex edito loco circumspicienti, tredecim pagi, quorum unus a duobus millibus hominum incolitur, inter oliveta et quercus apparent. Ceteræ frugiferæ arbores, nuce excepta et amygdala, ægre veniunt. Frigus enim acrius, et ventus terribilem in modum, in hac quasi caverna, unde exitus nullus, bacchatur. Semitæ magnam partem ita depressæ, ut quasi subterraneæ videantur, atque tam angustæ, ut interdum vix unum hominem accipiant et transmittant, sæpe in torrentium alveos transmutatæ, inter virides sepes ab uno ad alterum vicum serpunt. Hanc vallem, quam dicit *Darmillam* Piacenza, ut totius insulæ fecundissimam laudat; Pash de Kriene (p. 61) octo pagos eosdemque amplissimos continere affirmat. Assentit et istis laudibus Ross (I, 42), qui etiam nominis *Drymaliæ* originem investigat. Vult verbum hoc a « τρύμη, *fora-*

men, » derivatum, et vallem « τρυμαλίαν, » id est « cavatam foramine » nuncupatam esse, littera T ante liquidam 'P in debiliorem Δ transmutata. Nonne autem verius est Drymaliam a quercubus vocatam fuisse, quibus inter omnes alias, non insulæ solum, sed Græciæ valles feracissima est? Quercus autem græce δρύς dicitur.

Haud rara in pagorum casis marmorum antiquitus politorum fragmenta occurrunt. Tunc prope *Acadimousam* excavata sunt, paucos ante annos, sepulcra hellenica, atque in eis simulacra parva ex lapide, quibus nulla alia similia (1). Istas tibi videre videaris pupas quibus pueri puellæque delectari solent : unum vix pedem longa, corpus planum, non rotundum habent, crura rigidiora, sine articulis ; pro pedibus aliquid informe ac proeminens, pro naso nescio quid triangulare e facie exstans. Caput in apicem terminatur, ac fere dimidiam totius corporis partem tenet. Cujus hæc artis vestigia sunt ? Quibus sculptoribus illa, quasi puerili manu elaborata, attribuas? Remotæne antiquitati, antequam artes litteræque in Græcia florere cœperint, an huic ætati assignanda, postquam invaserunt jam magnam occidentis partem orientales, præcipue Ægyptiacæ religiones? Referunt quidem hæ statuæ, cum longis capitibus ac cruribus junctis Ægyptiacorum sepulcrorum fictiles imagunculas, elato capitis tegmine ornatas, statuque immobili rigi-

(1) FIEDLER, *Op. cit.*, Naxos, II, pl. 2.

das. Non autem videtur prisca ætas similia simulacra sepulcris includere solita, qui mos contra in Ægypto semper viguit, unde in insulas totamque Græciam venerit. In hac vero Drymalia valle fuit Serapidos templum ac præcipuus, primo ante Christum seculo, cultus. Testis exstat inscriptio, in parva pagi *Chalkorum* ecclesia asservata. *Divo Georgio* nuncupatum delubrum, inscriptumque marmor portæ superum limen effingit. Ejus est temporis, quo Rhodii insulæ dominatum ab Romanis, post Philippensem Antonii victoriam, obtinuerunt [1].

Jam hoc animadverti dignum est, inter tredecim vallis pagos quatuor existere quorum nomina antiqua vocabula referant, *Khalki* (χαλκοί, æra), *Kerami* (κέραμοι tegulæ), *Acadimia* (Ἀκαδημία, hortus Academi), et Philoti (φιλωτί, id est φιλωτεῖον), quod Ross [2] heroïs Philotæ tumulum interpretatur. Sic et apud Nauplia castellum quoddam vocatur Palamideum (Παλαμήδεῖον), Palamidis silicet heroum, qui regionis illius rex olim erat. Drymaliæ igitur vicos vel ex inventis ibi tegulis æreisque vasis, vel ex conservata herois Philotæ, aut Academicæ philosophiæ scholarum memoria vocabula cepisse probabile. Ex illis igitur omnibus indiciis concludi potest, in valle nostra urbem exstitisse, aut certe pagum amplissimum, qui urbi Naxo tantum cederet. Nempe post Livadiam amplissima et fecundissima

(1) Vide infra inscriptionem n° 7, apendix.
(2) *Op. cit.*, I, 42, n° 14.

regionum omnium Drymalia, situque naturali a piratarum incursionibus tuta, nec tamen maris commercio exclusa, quum ei per *sancti Stephani* fauces ad portulum, *Agiasso* vocatum, pateat accessus.

Inter Drymaliam sequentemque vallem, positum est castellum, quod ex edito situ *Apano Castro* (1) nuncupatur, a duce Sanuto Secundo ædificatum, quo Græcos ad rebellionem inclinantes contineret. Nunc semirutum est et vacuum. *Potamia* autem vallis nomen habet a rivo quo irrigatur. Inde enim exit ille fluvius qui Livadiam præterfluit, ex duobus rivis conflatus, nunquam deficientibus. In duas vallículas dividitur Potamia, quæ ambæ ad *Ziria* anfractum conveniunt. Una Potamia proprio nomine dicitur cum tribus vicis, hortisque fructuum feracibus; alteram, *sancti Mimantis* dictam, episcopi latini villa obtinet, desertaque hodie, olim marmoreis pavimentis nobilium Venetorum sepulcra obtegens ecclesia. In eumdem Ziria anfractum aperitur tertia vallicula, *Calamitzia,* amœna et dives, quondam patrum Jesuitarum villa, hodie Lazaristarum.

Pone Calamitzianos colles apparet gratissima visu insulæ totius vallis, quæ *Melanes* dicitur. In theatrum curvata, a ripa torrentis paulatim assurgit, donec ex ædibus, quæ summum verticem occupant, ultra oppositos in scenæ modum colles, mare sparsasque per æquor insulas prospicere sit. In hortis assidue vi-

(1) Pash de Kriene, 61, *Panocastro.*

ridantibus crescunt tum nostro solo assuetæ arbores, piri, mala, nuces, pruna, tum illæ quarum fictas modo novimus imagines, citri, medica mala, olivi, granata, apyrina. Neque, quod quidem rarum in Græcia, excluduntur flores, narcissi, rosæ, dianthi, lilia, odores suos arborum odoribus intermiscentia. Vere novo, quum frondent omnia, luxuriant herbæ, floribus citri induuntur, suave est apes audientem susurrantes, cubare sub umbra, strepitu et fragrantibus quasi inebriatum auris. Quid si, inclinante in æstatem anno, salientis aquæ rivi scatebris arentem terram temperant, et arborem quamque suus circumfluit lacus, succum vitamque languentibus frondibus infundens? Vere tum caram Diis agnoscere est Naxon, felicemque inter alias dicere Cycladas! Heu quod et ipsa brevi solis ardore exsiccabitur, arebunt herbæ, et melle suo innutriri per æstatem cogentur apes, cibo deficiente!

In valle Melanensi reperta ea est proxime elapso seculo, quam Lichtle hospiti suo Pash de Kriene monstravit, inscriptio : (1) ὅρος τεμένους τοῦ Ὤτου καὶ Ἐφιάλτου « finis agri Oto et Ephialtæ sacrati. » Ibi enim fama erat Dianæ telis occubuisse geminos Aloidas, tumulisque heroum sacri habebantur honores.

(1) Pash de Kriene., 66. — Bœckh, *C. I. G.*, n° 2640.

IV

NAXI URBIS DESCRIPTIO

A Melanibus ad Livadiam per angustas fauces itur in quibus volvitur rivulus cum flumine confluens. Inde prospicitur urbs Naxos, quæ, ut hodie, ita olim insulæ caput erat. Colli humili imposita, mari supereminet; qui mos omnium antiquarum civitatum est, quæ primum oppida modo erant. Quum enim leges gentibus nondum essent constitutæ, et piratis prædonibusque maria terræque redundarent, hoc primum agricolis providendum erat, ut sibi suisque perfugium aliquod adversus repentinos hostium impetus pararet. Inde oppida non in locis ad vitæ delicias vel etiam usum aptissimis, sed in tutissimis sita, quas vocant *acropolis*. Itaque in collibus ac rupibus undique præruptis, in promontoriis præcipiti tractu in mare procurrentibus, in montium inaccessis anfractibus stant antiquissimæ hominum sedes. Nunc quoque in omnibus Orientis partibus, ubi non satis secura, elapso proxime seculo, incolentium vita, latent in editis arduisque stationibus pagi, unde mane quoque coloni ad agrorum curam descendunt, vespere quoque ad casas reversuri. Quum per tot secula Archipelagus et Christianorum et

Turcarum vastationibus quasi campus patuerit; neque ex longo tempore tuta sit navigatio, nondum in planum descenderunt urbes, paucæque admodum non priscam montium securitatem retinuere.

Ex mari igitur ad Naxum accedenti apparent candidæ ædes colli, quasi theatri gradibus, impositæ, quæ sensim ex littore ad arcem summam assurgunt, dum longe montium tractus, variis culminum formis, undique prospectum claudit. Ubi vero in molem portus expositus fueris, quam fallax sit omnium in iis regionibus urbium species statim experieris [1]. Pro viis, excipient te longæ angustæque fauces, sinuosis flexibus serpentes, asperæ, scalis sæpe interruptæ, squalore, humoribus repletæ, quas nunquam sol aspicit. Sæpe fornicibus obscuris subeundum, sæpe vitandi canum suumve in luto ludentium occursus, vel ædium præ vetustate dilabentium metuenda ruina. Superiorem urbis partem, quam arcem, sive Castellum dicunt, incolunt Venetarum familiarum reliquiæ; inferiorem vero, quæ urbs (τὸ χωριό, ἡ χωρά) proprie vocatur, et exteriorem eamdemque recentiorem (νεοχώριο) Græci. Olim muris castellum, urbs mœnibus cingebatur, comprimebaturque [2]. Nunc diruta ea omnia, et hodiernus vicus in planum libere extendi cœpit.

In summo Castello, quod, ut ab altero, Apano Castro vocato, discerneretur, inferius (κάτω καστρό) diceba-

(1) Ἰατρικὴ ἐφημερίς. Athenis, 28 nov. 1858. Ἐκδρομὴ εἰς Νάξον ὑπὸ Ἀφεντούλη.

(2) Pash de Kriene, p. 59.

tur [1], stabat Ducarum Venetorum sedes, turre munita, unde poterant totius dominationis suæ conspectum amplecti [2]. A meridie ad Boream circumspectantibus visebantur primo Sikinos, Polycandros, Nios, Heracli scopulus et, in Paro, alba Lefkes tecta pistrinaque Naoussæ, alas ad ventum expandentia ; tum ultra cærulea maris spatia, Siphnos, Ceos, Syros, Eubœa, Andros, Tenos, Myconos, geminaque Delos. Ad orientem vero conversis Livadia tota patebat, casis candidatis sacellisque distincta, olivetis et messibus hinc illinc intermixtis, atque, ultra hortos in primis montium declivitatibus ipsisque anfractuum faucibus sparsos, surgebant Ziæ et Coronidos cacumina, nubibus plerumque cincta. Ut facile intellectu sit, non sine magno quodam dolore palatio illi valedixisse, in servitutem a Turcis redactos, tot insularum per tria secula dominos. Nunc diruta turris planitiem effingit, unde, quasi e specula, incolæ navium adventum prospectant.

Plena est urbs marmoribus antiquis, sive parietibus domorum inclusis, sive scalarum gradibus infixis ; nulla prope fenestra, nullæ fores non aliquid simile habent, totumque palatium, et major castelli murorum pars inde conflata erat. Rari tamen columnarum trunci ; nam quibus columnis cathedralis Græcorum

(1) Ross (*Archeologische Aufsætze*, *Zweite Sammlung*, p. 158), edit Diploma Joannis IV, ita subscriptum : « Actum in nostro ducali palatio castri inferioris Naxie.

(2) De hoc Ducarum Castello vide : Ross, *Op. cit.*, p. 25, n° 6. — G. Finlay. *Medieval Greece*, p. 324.

ecclesia innititur, eæ ante unum seculum ab insula Delo invectæ sunt, et Byzantinis capitellis auctæ. Rariores inscriptiones, rariores etiam sculpturæ. Est tamen in cujusdam domus pariete, supra portam ornamenti causa, inclusum marmor virilis corporis superiorem partem referens, solertissima manu exsculptam; cetera vero aut magis deformata quam ut artem dignoscas, aut rudia omnino ac sine pretio sunt. Inscriptiones autem omnes, una excepta, funereæ, neque Macedonica ætate superiores. Inventa etiam ad meridiem collis urbani sepulcra, cineres adhuc continentia.

His igitur consideratis, nullum alium locum esse qui tot commoda urbi ædificandæ et conservandæ offerat, qui et tantum agri spatium et portus utilitatem, et arcis opportunitatem præstet, quum tot insuper exstent vetustatis monumenta, non dubitari potest hic sitam fuisse urbem, insulæ caput. Neque ulla alia, nisi quæ permagna fuerit, tantam marmorum lapidumque vim hodiernis ædibus ministraret. Cui rationi una res objici potest, scilicet deesse aquam, nullam vero urbem sine aqua longum tempus duravisse. Fluvius enim qui per Livadiam transit, ante quam ad mare perveniat, paulum ad meridiem deflectitur, effluitque in paludes salsas, littori proximas. Qui rivulus ad extremum portus finem infunditur, potum non ministrat, adeo amaras et male salubres corpori undas volvit. *Ariadnæ* dictus *Fons* vel *Balneum* (1), idem fortasse

(1) Buondelmonte : Balneum Ariadnæ. — Dapper et Pash de Kriene (p. 64) : Fontana Ariadnæ.

antiquus, Distomou puteo et duplici ore et operis apparatu similis, lavantibus vestes suas solum utilis. Collectas pluvias, vel quæsitas procul a fluvio lymphas bibunt incolæ. At hæc est omnium fere arcium conditio, ut potum vel aliunde quærant, vel ex puteis hauriant, et magna pars veterum, inter quas Athenæ, urbium eadem laborant penuria. Sed olim instituebantur operum tractus qui desumptam ex proximis montibus aquam vel apertis vel tectis sub terram canalibus imæ, mediæ, aut summæ etiam arcis altitudini importarent, unde per os putei peteretur. Exstant Naxio in agro ejusmodi operis vestigia, Venetis certe, eo quo nunc est apparatu attribuendi, sed quod forsan olim utilis, postea disturbati aquæductus reparatio fuit. A collibus *Flerio* et *Cambonibus*, ab occidente scilicet, ad urbem recta prope via accedebat. Ex hoc canali derivatus erat fons quem Hassan Aga, unus ex Turcis apud Naxios præfectis, mille passibus a Naxo in itinere ad Engares viatoribus jumentisque eorum recreandis ædificaverat (1). Sed ductus omnes rupti disturbatique sunt, aretque hodie fons ; aruit et qui dicebatur in ipso ducum palatio exstitisse. Tum si quis canalis potabiles undas Ariadnæ fonti inferebat, immixtione amararum aquarum corruptus fuit. Certe, urbe in his locis ædificata, caverant veteres ut ibi potus non deficeret, vel magna impensa et multo labore quærendus.

Quantum conjici potest, urbs colli toti insidebat,

(1) Ross, *Op. cit.*, I, 38.

ecclesia innititur, eæ ante unum seculum ab insula Delo invectæ sunt, et Byzantinis capitellis auctæ. Rariores inscriptiones, rariores etiam sculpturæ. Est tamen in cujusdam domus pariete, supra portam ornamenti causa, inclusum marmor virilis corporis superiorem partem referens, solertissima manu exsculptam; cetera vero aut magis deformata quam ut artem dignoscas, aut rudia omnino ac sine pretio sunt. Inscriptiones autem omnes, una excepta, funereæ, neque Macedonica ætate superiores. Inventa etiam ad meridiem collis urbani sepulcra, cineres adhuc continentia.

His igitur consideratis, nullum alium locum esse qui tot commoda urbi ædificandæ et conservandæ offerat, qui et tantum agri spatium et portus utilitatem, et arcis opportunitatem præstet, quum tot insuper exstent vetustatis monumenta, non dubitari potest hic sitam fuisse urbem, insulæ caput. Neque ulla alia, nisi quæ permagna fuerit, tantam marmorum lapidumque vim hodiernis ædibus ministraret. Cui rationi una res objici potest, scilicet deesse aquam, nullam vero urbem sine aqua longum tempus duravisse. Fluvius enim qui per Livadiam transit, ante quam ad mare perveniat, paulum ad meridiem deflectitur, effluitque in paludes salsas, littori proximas. Qui rivulus ad extremum portus finem infunditur, potum non ministrat, adeo amaras et male salubres corpori undas vol vit. *Ariadnæ* dictus *Fons* vel *Balneum* (1), idem fortasse

(1) Buondelmonte : Balneum Ariadnæ. — Dapper et Pash de Kriene (p. 64) : Fontana Ariadnæ.

antiquus, Distomou puteo et duplici ore et operis apparatu similis, lavantibus vestes suas solum utilis. Collectas pluvias, vel quæsitas procul a fluvio lymphas bibunt incolæ. At hæc est omnium fere arcium conditio, ut potum vel aliunde quærant, vel ex puteis hauriant, et magna pars veterum, inter quas Athenæ, urbium eadem laborant penuria. Sed olim instituebantur operum tractus qui desumptam ex proximis montibus aquam vel apertis vel tectis sub terram canalibus imæ, mediæ, aut summæ etiam arcis altitudini importarent, unde per os putei peteretur. Exstant Naxio in agro ejusmodi operis vestigia, Venetis certe, eo quo nunc est apparatu attribuendi, sed quod forsan olim utilis, postea disturbati aquæductus reparatio fuit. A collibus *Flerio* et *Cambonibus*, ab occidente scilicet, ad urbem recta prope via accedebat. Ex hoc canali derivatus erat fons quem Hassan Aga, unus ex Turcis apud Naxios præfectis, mille passibus a Naxo in itinere ad Engares viatoribus jumentisque eorum recreandis ædificaverat [1]. Sed ductus omnes rupti disturbatique sunt, aretque hodie fons ; aruit et qui dicebatur in ipso ducum palatio exstitisse. Tum si quis canalis potabiles undas Ariadnæ fonti inferebat, immixtione amararum aquarum corruptus fuit. Certe, urbe in his locis ædificata, caverant veteres ut ibi potus non deficeret, vel magna impensa et multo labore quærendus.

Quantum conjici potest, urbs colli toti insidebat,

(1) Ross, *Op. cit.*, I, 38.

ecclesia innititur, eæ ante unum seculum ab insula Delo invectæ sunt, et Byzantinis capitellis auctæ. Rariores inscriptiones, rariores etiam sculpturæ. Est tamen in cujusdam domus pariete, supra portam ornamenti causa, inclusum marmor virilis corporis superiorem partem referens, solertissima manu exsculptam; cetera vero aut magis deformata quam ut artem dignoscas, aut rudia omnino ac sine pretio sunt. Inscriptiones autem omnes, una excepta, funereæ, neque Macedonica ætate superiores. Inventa etiam ad meridiem collis urbani sepulcra, cineres adhuc continentia.

His igitur consideratis, nullum alium locum esse qui tot commoda urbi ædificandæ et conservandæ offerat, qui et tantum agri spatium et portus utilitatem, et arcis opportunitatem præstet, quum tot insuper exstent vetustatis monumenta, non dubitari potest hic sitam fuisse urbem, insulæ caput. Neque ulla alia, nisi quæ permagna fuerit, tantam marmorum lapidumque vim hodiernis ædibus ministraret. Cui rationi una res objici potest, scilicet deesse aquam, nullam vero urbem sine aqua longum tempus duravisse. Fluvius enim qui per Livadiam transit, ante quam ad mare perveniat, paulum ad meridiem deflectitur, effluitque in paludes salsas, littori proximas. Qui rivulus ad extremum portus finem infunditur, potum non ministrat, adeo amaras et male salubres corpori undas vol vit. *Ariadnæ* dictus *Fons* vel *Balneum* (1), idem fortasse

(1) Buondelmonte : Balneum Ariadnæ. — Dapper et Pash de Kriene (p. 64) : Fontana Ariadnæ.

antiquus, Distomou puteo et duplici ore et operis apparatu similis, lavantibus vestes suas solum utilis. Collectas pluvias, vel quæsitas procul a fluvio lymphas bibunt incolæ. At hæc est omnium fere arcium conditio, ut potum vel aliunde quærant, vel ex puteis hauriant, et magna pars veterum, inter quas Athenæ, urbium eadem laborant penuria. Sed olim instituebantur operum tractus qui desumptam ex proximis montibus aquam vel apertis vel tectis sub terram canalibus imæ, mediæ, aut summæ etiam arcis altitudini importarent, unde per os putei peteretur. Exstant Naxio in agro ejusmodi operis vestigia, Venetis certe, eo quo nunc est apparatu attribuendi, sed quod forsan olim utilis, postea disturbati aquæductus reparatio fuit. A collibus *Flerio* et *Cambonibus*, ab occidente scilicet, ad urbem recta prope via accedebat. Ex hoc canali derivatus erat fons quem Hassan Aga, unus ex Turcis apud Naxios præfectis, mille passibus a Naxo in itinere ad Engares viatoribus jumentisque eorum recreandis ædificaverat [1]. Sed ductus omnes rupti disturbatique sunt, aretque hodie fons ; aruit et qui dicebatur in ipso ducum palatio exstitisse. Tum si quis canalis potabiles undas Ariadnæ fonti inferebat, immixtione amararum aquarum corruptus fuit. Certe, urbe in his locis ædificata, caverant veteres ut ibi potus non deficeret, vel magna impensa et multo labore quærendus.

Quantum conjici potest, urbs colli toti insidebat,

(1) Ross, *Op. cit.*, I, 38.

littusque ab occidentali collis pede usque ad rivum qui aquilonem versus effluit, prætexebat. Ad occidentem meridiemque inventa sunt, circiter centum passibus ab extremis hodiernæ civitatis ædificiis, sepulcra quæ in viis scimus, circum portas urbium, non in ipsis urbibus, esse sita. Tum ad orientem, paulo supra rivulum, solo jam aliquantum assurgente in collem, mœnium vestigia exstant quadratis Syenitis lapidis molibus conflata. Extra hunc cinctum, quinquaginta vel sexaginta passus ab urbe, remota sunt hellenicæ ædis rudera, fragmina columnarum, quarum una, terræ immissa, atque nuper etiam retecta, locum destinatum servare videtur. Eam prope, invenitur pavimentum lapicillis et fartura conflatum, quod recentius videtur, diciturque ab incolis ordinis sancti Joannis equitibus gymnasium fuisse.

Portum, qui, ut ad parvas veterum cymbas triremesque etiam admittendas accommodatus erat, ita nostris navibus exiguus et male tutus, lapideæ moles ab Aquilone et Zephyro, Medio Ævo, si non et florentibus Græciæ temporibus, defendebant. Nunc semirutæ tum maxime resarciuntur. Orientem versus protegitur insula, *Strongyle* dicta, quæ antea solidæ terræ per aquæductus tractum juncta erat. In medio insulæ hujus vertice stat marmorea porta, tribus tantum lapidibus informata (1). Altitudo ejus 5m84 ; latitudo 3m45 ; limen superum 0,81 crassum. Nunc etiam saxa

(1) *Expédition scientif. de Morée*, architecture, planche I.

eminentes illos ferunt cuneos, quibus ad erigenda tanta pondera opus erat. Maritimarum aurarum acritate ita exesa sunt marmora, ut artificii genus jam non manifeste appareat. Unum tamen ex tribus saxis, quibus limen inferius compositum est, crepidinem fert eo modo dispositam, ut huic portæ a principio non fuisse destinatum appareat.

Cujus ædis hæc porta fuerit nunc videndum. Quidam, dum insulam Palatiam vocant (1) significant credere se ibi magnificam exstitisse domum, id est palatium, cujus usibus cisternæ multæ aptæ fuerint, undas ministrante aquæductu illo quem Lichtle et Pash de Kriene viderunt integrum. Verisimile enim est, Medio Ævo, in hoc scopulo, ad arcendas e portu piratarum naves et ad observandos aditus exitusque cymbarum castellum fuisse positum, cujus reliquias nunc etiam invenire est, tegulas, imbrices, cæmenta; aquarum autem canales, cisternasque præsidiis potum præbuisse; cavatas etiam cameras frumentis conservandis destinatas. Hoc vero certum est, non Græcorum neque Romanorum opus esse illum aquæductum. Porta quidem in muris castelli inclusa, atque ad usum quemlibet conversa fuit. Ipsa autem templo alicui aditum videtur dedisse, quod nunquam fuit absolutum. Quamvis enim Piacenza, Pash de Kriene, Choiseul-Gouffier (I,68), atque, nostra etiam ætate, Ross (I,82) templi illius vestigia se vidisse dicant, quanto

(1.) Lichtle et Pash de Kriene, p. 63.

fuerint in errore versati apparet vel ex eo quod non inter se concordant computationes eorum. Piacenza et Pash de Kriene assignant templo centum pedes in longitudinem, quinquaginta in latitudinem, affirmantque omnes lapides, sedecim palmas longos, septem altos, inter se ferreis ungulis et plumbo religatos fuisse. Porta autem, si uni credas, alta duo et triginta pedes fuit, sedecim aperta; si alteri, viginti septem alta, tredecim aperta. Choiseul-Gouffier cum eis, quod ad latitudinem templi attinet, congruit, de longitudine dissentit, eam dicens quatuor et octoginta modo pedum esse. Ross non metiri circuitum ausus, sed quas videre visus est, saxorum cæsuras parietibus cellæ ædificandis paratas, agnoscere nullo modo, elapsis in medio tantum viginti quinque annis, potui. Neque earum commentarii expeditionis a nobis in Moream missæ mentionem faciunt.

Quum vero pro certo ab omnibus illis rerum antiquarum speculatoribus haberetur, ibi templum exstitisse, quod nemo perspicere ac metiri potuit, castello primum, dein castelli ruderibus prohibentibus, cujusnam numinis dicendum esset quæsiere. Placuit Baccho dedicari, ut peculiari Naxiorum numini, idque esse sanctissimum illud adytum cujus sacerdos insulæ eponymus magistratus esset. Non hoc autem cogitaverunt, eam ædem, cujus porta tantæ fuisset magnitudinis, immensam fuisse, neque fieri posse ut non ejus fama clarior evaserit. Nota sunt Minervæ templa in Sunio, ejusdem in Egina, Neptuni in Calauria, mul-

taque alia; illud autem, quod in ipso urbis aditu positum fuerit, ad quod nullus non viator accedere potuerit, quod primum et Persis, et Ephesiis et Atheniensibus urbem obsidentibus occurrere debuerit, quis credat ignotum omnino permansisse, quum aliorum insulæ locorum, Lystadum, Delii nomina in illorum bellorum narrationibus conservata fuerint? Non igitur florentibus Hellenicæ artis temporibus hæc ædes adscribenda, sed potius Romanæ dominationi atque Adriani maxime imperatoris temporibus, quum jam non pulchra modo sed ingentia ædificia affectare, et lapidum trabes enormes, columnas monolithas oneraque immania transportare, expolire, evehere cœperunt. Sed ingruentes ea ætate imperio Romano calamitates impediisse arbitror ne manus ultima operi imponeretur. Buondelmonte, cui jam Apollinis statuam debemus, quum vix audiit in insulâ templum esse idemque Baccho consecratum, jam sibi ante oculos numen illud fingit, quale videre solitus erat, describitque somnium suum [1] « Bacchò dedicata Naxos, qui sculptus prope oppidum, puer, facie muliebri, nudo pectore, capite cornuto, vitibus coronato, et in tigribus equitando. » Nulla similis statua neque in insula Strongyle, neque alio ullo Naxi in loco est inventa.

(1) *Liber insul.*, ch. XXXVII, p. 96.

PARS SECUNDA

VETERUM DE INSULA COMMENTA

I

GEOGRAPHICA QUÆDAM

Pauca admodum de geographia Naxi nobis tradita sunt. Præcipua urbs, ex insulæ nomine Naxos appellata, a Ptolemæo perhibetur (1) sub quinquagesimo quinto longitudinis, trigesimo septimo latitudinis gradu jacuisse. Pulchra autem illa adeo erat et tam gratum advenientibus ex mari prospectum offerebat, ut insula *Callipolis*, id est « pulchra urbe ornata » audierit (2). Tum semper in historiarum scriptoribus cum insula

(1) III, 15, 30.
(2) Aglaosth., Ναξιακά, *Frag. Histor. Græc.* (Didot).

urbs confunditur ; eodem vero, quo nunc, loco sitam fuisse eam vidimus, quod effossis sepulcris inscriptionibusque, exstantibus murorum partibus, atque perpensa ipsius situs opportunitate confirmatur.

Quam memorat Stephanus Byzantinus *Tragæam* civitatem, in orientali insulæ parte, ubi Apollona portus, et inscriptio reperta Apollinis nomini consecrata, positam diximus. Quid enim Stephanus ? « Τραγαῖα ἐστὶ πόλις ἐν Νάξῳ, ἐν ᾗ τράγιος Ἀπόλλων τιμᾶται (1).» Certum est autem ex inscriptione dedicatum fuisse Phœbo locum ; ubi autem jure meliori adorari potuit pastoralis Apollo, hædorumque protector, nisi in ea regione quæ vix frumenta vinumque gignat, sed tota collibus montibusque cooperta, dumis et vepribus obducta, pecoribus modo victum suppeditet ? Ovium capellarumque in gregibus fere omnes positæ sunt hujus provinciæ opes.

Restant duo nomina ab historiarum scriptoribus tradita ; unum ab Aristotele, (2) qui dicit Lystadibus, in villa suâ, habitare divitem Telestagoram, alterum ab Andrisco (3), qui narrat Delion esse ab Ephesiis urbem Naxum circumsidentibus captum. Vicina esse urbi loca illa constat, quum juvenes, qui Telestagoram injuria affecerunt, videantur eo intra aliquot horas pervenisse, et Delion inter mœnia urbis oppu-

(4) Eupolis scribit : « Τραγέα. »
(2) Ναξίων πολιτεία : Ληστάδαι.
(3) Ναξιακά : *Fragm. hist. Græc.* (Didot).

gnantiumque castra sederit [1]. Putandum est igitur Delion fuisse aliquod templum, nescio an Apollinis, quod Naxii præsidio munierunt, prope muros, ac pæne in ipso urbis accessu positum. Est autem ad meridiem Naxi, quasi in ipso littore, inter muros oraque fluvii, humilis collis, ad quem a mari aditus, quem tamen munire in instanti periculo potuerant incolæ : ibi credam Delion fuisse. Lystadas autem longius removeam, in vallem Potamiæ vel Melanium, quæ sexaginta vel quinquaginta stadia ab urbe est, ita ut adiri facile possit, tamen qui eo venerint hospitali mensa, vel etiam lecto egeant.

Memoratur insuper, si insula vel uni fluvio locum præbere potest, fluvius quidam, *Biblos* [2], cujus in ripis dulcissimum, *Biblinio* cognomine, gignebatur vinum [3]:

> Et tibi per mediam, bene olenti flumine, Naxon,
> Unde tuum potant Naxia turba merum [4].

Hicne est ille rivus qui Aperanthon præterfluit, vitium excellentia præclarus? at de Biblo eo flumine, ubinam gentium fuerit, non ita constat [5]. Quum enim nullum esse possit in Naxo flumen, eo vocabulo di-

(1) PLUTARCHUS, *De virt. mul.*, 17, *Polycrite.* — PARTHENIUS, XVIII. *Neæra.* — POLYEN., *Stratag.*, VII, 26.
(2) SIMOS DELIUS, 12, *Fragm. hist. Græc.* (Didot).
(3) HESIOD., *Op. et dies*, vers 589, *Schol.*
(4) PROPERT., III, 15, 27.
(5) *Étymol. magn.* : Βίβλος. — STEPH. BYZANT. : Βιβλίνη.

gnum, credunt plerique hoc toties recantatum vinum ex quadam specie vitis prognatum [1], quæ, Biblinia dicta, ex Naxo vel alia quadam regione oriunda fuerit; hanc autem potissimum regionem unam esse Thraciæ partem Bibliam aut Biblinam vel Bimblinam vocatam, cui Biblos fluvius interfluat.

Simili modo, ubi quærenda sit urbs *Nysa,* Bacchi patria, incertum. Nysa enim in monte vel urbe natum eum constat : « Εἰς Νύσαν... γεγονέναι » ait Herodotus (II, 144) cum quo consentit Homerus [2].

> Ἐστὶ δέ τις Νύση, ὕπατον ὄρος, ἄνθεον ὕλη...
> Νύσης ἐν γυάλοις γεγονέναι.

Decem autem urbes ejus nominis, omnibus ex orbis partibus, Ægypto, India, Phœnicia, Græciaque, Stephanus Byzantinus enumerat, quæ inter se tanto de honore certent; inter alias autem duas excellere, unam in Naxo, alteram in Eubœa, apud quas mirabili quadam Dei benevolentia, vitis eodem die et folia simul et fructus ferat. Naxiam igitur Nysam, meridiem versus, in Ariovesæ agro, ubi stat turris Chimarrhou, jure ponendam arbitror. Hic enim, quanquam hodie non cultus, aptissimus vitibus locus, ibique sedis antiquæ vestigia apparent. Drion vero montem, ubi educatus refertur Jupiter [3], ubi Bacchus [4] Ariadnam

(1) Athen., I, 56; II, 38.
(2) *Hymn.*, xxvi, 8; xxv, 5.
(3) Diodor., V, 51.
(4) Eratosth., *Cataster.*, II, 30. — Aglaosth., *Ναξιακά*.

uxorem duxisse, eum cum elatissimo insulæ cacumine, cum monte Zia confundendum esse demonstravimus.

Nihil igitur de geographia Naxi amplius scimus quam montis, castelli, vici unius, duarumque vel trium urbium nomina. Earum vero una opibus vere florebat; ceteræ potius religionibus memorabiles. Ex locorum descriptione vidimus, præter Naxi et Tragææ nullius urbis remanere vestigia certa. In Drymalia tantum valle et in Polichnis planitie aliqua esse inventa quæ ad urbem vel saltem amplissimum vicun referri debeant. Mirum hoc primum considerantibus quam opulenta per multos annos insula fuerit, sed tamen explanationis haud arduæ. Agris præsertim colendis, pecorique educando vacavisse constat Naxios. Numina enim omnia, quorum monumentum aliquod ad nos pervenit, cognomen habent a rebus agrestibus desumptum : Jovem ovium custodem (1), Apollinem hircorum præsidem (2); pastoralem Deum nescio quem (3), forsan eumdem Apollinem, ibi adoratos esse scimus. Genti igitur istius modi operibus deditæ urbs una sufficiebat, in qua tractarentur res publicæ,. quo rustici certis diebus ad emenda quæ sibi necessaria, ad exportanda exponendaque quæ venalia habebant, convenirent. Reliquum tempus per campos dispersi, in suis quisque prædiis cum familia

(1) Bœckh., *C. I. G.*, 2418, ὅρος Διὸς Μηλωσίου.
(2) Steph. Byz., Τράγιος Ἀπόλλων.
(3) Macrob., *Saturn.*, I, p. 298, ed. Leipzig.

degebant. Pastores etiam sub pellibus per æstatem, ut et hodierni Naxii, durabant, pecoribus suis invigilantes. Sic et in Attica urbs una erat, Athenæ, cetera tantum pagi, agricolarumque domicilia.

Olim vero ad tutelam rerum hominumque, siqua piratarum aut prædonum subita vis ingrueret, surgebant hinc inde turres quarum duæ hactenus permanserunt, Cataracti et Chimarrhou. Sic et Medio Ævo, ubi non satis tuta hominum vita, opulentissima quæque domus in castelli formam et usum ædificata erat. Stabat quippe turris alta, rimis potius quam fenestris aperta, vallo et fossa cincta, cum ponte qui nocte ineunte tollebatur, aditique ad portam perangusto. Hodie fossæ planæ sunt, pons nullus, et accessus villæ omnibus patens. At in græcis sancti Joannis Chrysostomi et sanctæ Revelatæ (Ἁγιᾶς φανερουμένης) monasteriis, ubi mores prisci fidelius retenti sunt, idem fit atque ante hæc duo secula. Vespere occidente, clauduntur portæ, tollitur pons, nec quisquam intromittitur priusquam illuxerit. Tum, quum campana exterior sit, non campanæ sono, sed alius cujusdam machinæ, quam indicatricem vocant (σημάντριον), e somno ad sacra adeunda excitantur monachi.

II

DE PRÆCIPUIS SOLI PROVENTIBUS

Quoties memoratur apud veteres Naxos, fecunditatem soli, cœli naturæque amœnitatem, frugum pecudumque excellentiam ante omnia efferunt. Illis laudibus inter ceteras Ægæi maris insulas inclaruerat. Nam pingues ejus campos celebrat Pindarus: (1) « Ἐν Νάξῳ λιπαρᾷ. » Herodotus (V, 31), Aristagoram inducens apud satrapam perorantem ut Naxon armis occupare tentet, haud ita vastam quidem esse illam dicit, sed bonam ac pulchram. Præcipuam eam Cycladum Strabo (X,95), Alteram etiam Siciliam vocat, ex Agathemeri (I, 5) autoritate Plinius Major, ob fertilitatem magis quam ob magnitudinem (2). Quippe, Cycladum licet amplissima, et, « dimidio major quam insula Paros, non amplius septuaginta quinque millibus passuum circuitu patebat; » et a Scylace (3), qui insulas Ægæi maris recensuit inque ordinem redegit, quatuordecimo tantum loco inscribitur, quum Sicilia secundum, primum Sardina occupet.

Jam quibus maxime proventibus, quibus terræ fœ-

(1) *Pyth.*, IV, 156.
(2) Plin., *H. N.*, iv. 12 (22).
(3) Fr. 19, 22 (Didot).

tibus tantam Naxos adepta erat famam? Quibus donis deorum munificentia sese ostenderat? Si veteres audimus, una voce Naxiarum uvarum suavitatem laudant. Veram eam esse Bacchi patriam vini mira jucunditas affirmabat, ideoque Dyonisiadæ cognomen (1) illi indictum : « Naxon (2) Dyonisiada a vinearum fertilitate, alii Siciliam Minorem aut Callipolim appellarunt. » Addit etiam Eustathius, admiratione quasi extra se raptus (3), « vitis folium eam figura sua referre, » adeo vitigena fuit! Archilochus Naxium vinum nectari assimilavit, et in votis esurionum erat, ut id aliquando biberent (4).

Δὸς μασᾶσθαι Ναξίας ἀμυγάλας,
Οἶνον τε πίνειν Ναξίων ἀπ'ἀμπ'ελων.

Quid plura? ne rursus Biblinum vinum commemorem, eamque toties decantatam vitium speciem, tanta erat Naxiaci vini fama, ut etiam vulgatæ fuerint de hoc fabulæ, fontem scilicet in insula existere e quo merum aliquando manaret, idemque dulcissimum (5).

Illi Eupolis versus, quos de vini suavitate testes induximus, iidem et amygdalarum Naxiarum laudem continent. Consentit et Phrynichus, dum vult etiam indicare teneri eas esse corticis, neque enim mirum

(1) DIODOR. SIC., V. 52.
(2) PLIN., *H. N.*, IV, 22 (12).
(3) *Ad Dionys. Perieg.*, 156.
(4) ATHEN., I, 56, cit. *Eupolim*, ταξίαρχος.
(5) CTESIAS, *Indica*, 10 (*Frag. Hist. Græc.*, Didot). — STEPH. BYZ., Νάξος. — *Heracl.* ap. SUIDAM., v. Νάξης.

esse si duras et asperas homo male dentatus enucleare non posset [1] :

Τούς δὲ γομφίους ἅπαντας ἐξέκοψεν, ὥστ' οὐκ
Ἂν δυναίμην Νάξιον ἀμυγδάλην κατάξαι.

Erant et ficus divini saporis, ut quæ inter præcipua Bacchi munera adnumerarentur, et Deo cognomen *mellito* addiderint. Constat enim ex Andrisci et Aglaosthenis de Naxo commentariis, Bacchum μειλίχιον audivisse. Dedicabantur ei statuæ, μείλιχα dictæ, quarum caput ex fici, reliquum corpus ex vitis ligno erat. Neque ita absurdum si hujus arboris largitio ad Bacchum tribuatur, quum et in Laconia audiamus Διόνυσον συκίτην, id est Bacchum fici patrem, adoratum fuisse.

Ceterum, illud *Mellitum* Bacchi cognomen poterat et ad mellis Naxii saporem virtutesque referri, quod inter optima fuit, nec ulli nisi Thasio et Attico cessit. Id autem cui numini, nisi tantorum munerum auctori, insula debuit? Erat et idem mel [2], adversus venena quædam potentissimum.

Geminum fel nonnullæ Naxiæ oves [3] et, ut Chalcidicæ pecudes nullum jecur, ita Naxiæ duplex crassumque gerebant [4]. Erat et sua Naxiis capellis fama, quumque cuperet Polycrates Samius in prædiis suis præcipuas pecorum species congregatas habere, non omisit ab Naxo et Skyro capellas petere [5].

(1) Athen., I, 56.
(2) Galian., xiv, 22.
(3) Ælian., *H. A.*, 29.
(4) Plin., *H. N.*, xi, 74.
(5) Athen., xii, 57.

Memoratur etiam [1] in insulæ campis juncum crevisse, cypirum gladiolum, radice bulbosa, cujus magnus in medicina usus. Duritias enim corporis discutiebat [2], panique etiam admixtus pondus et saporem addebat. Post Cretensem, Naxius laudatissimus erat, deinde Phœnicius. Cretico candor odorque vicinus nardo, Naxio acrior.

Mare autem insulæ circumfusum omni genere piscium abundabat; thunnis vero capiendis operam eadem ratione dabant Naxii, qua Eretrienses ex Eubœa et Ponti Euxini accolæ, peritiaque inter primos innotuerant [3].

Eæ agri Naxii præcipuæ fuere opes, quarum pars etiam hodie non degeneravit. Mellis optimus sapor, essetque vinum Aperanthinum, quod Baccheum nuncupatur, fama celebratius, si exportari et asservari posset; miræ enim limpiditatis est ac suavitatis eximiæ, sed quo caput citius gravatur. Pecora abundantissima, et maximi proventus; lanæ subtiles et textis tenuissimis aptæ. Olivarum species parva quidem, sedex qua oleum exprimitur crassum et purum, neque soliti saporis. Tum arboribus quas Græci antiquitus norant novæ additæ, citrus et ceteræ ejusdem generis, foliis floribusque suave olentibus, fructibus aureis, quorum ducenta vel trecenta millia quotannis Constantinopolim, Salonicam, Smyrnum exportantur.

(1) Plin., *H. N.*, xxi, 69.
(2) Dioscor., iv, 20.
(3) Ælian, *H. N.*, xv, 5.

Marmora varia, candidumque in primis et ophites, abundantissima, eximiæque qualitatis, ita ut Naxium vel Pario præferendum, si quid colosseum exsculpere velis; sed deficiente pecunia, deficientibus viis, non effodiuntur. E terræ visceribus tamen extrahitur, qui inter maximas insulæ opes numeratur, lapis quidam, subnigri coloris, quem *emeri* dicunt, ad varios usus aptus. Facile enim e montium lateribus eruitur, in superficie positus. Hic et vice cotis acutum reddit ferrum, et, in pulverem effriatus, expoliendis marmoribus et gemmis adhibetur. Addebant etiam veteres medicalem huic esse utilitatem, et cum potu in corpora admissum, puellis puerisque pubertatem prorogare [1]. Inter operarios lapides, secandis poliendisque gemmis idoneos, Naxius eminet, et quidquid quotannis ex insulæ lapicidinis effoditur, in Angliam vectum, inde in totam Europam dispergitur. Vulgatum erat apud veteres, ut « Naxium » pro arena operaria, « Naxios lapides » pro cotibus usurparent. Sic Pindarus [2], illam præoccupans similitudinem quam de se postea Horatius :

Φίαης κέ νιν ἀνδράσιν ἀθληταῖσιν ἔμμεν
Ναξίαν πέτραις ἐν ἄλλαις χαλκοδάμαντ' ἀκόναν.

Plinius [3] de operaris lapidibus disserens : « signis e marmore poliendis gemmisque etiam scalpendis et

(1) Galian., xii, p. 206, ed. Kuhn.
(2) *Isth.*, vi, 104.
(3) *H. N.*, xxxvi, 9, 10, 47; xxvii, 32.

limandis Naxium diu placuit ante alia... gemmæ Naxio et cotibus poliuntur. Arena Indica non æque levigat... simile et Naxiæ vitium est et Coptidi... Cotes ferro acuendo Creticæ diu maximam laudem habuere; secundam Laconicæ; utræque oleo indigentes. Inter aquarias, Naxiæ laus maxima fuit; mox Armeniacæ: oleo et aqua Ciliciæ pollent, ex aqua Arsinoeticæ. »

Quis non credat hanc ad insulam nostram referendam esse gloriam, ut lapidibus operariis nomen suum indiderit? Consentiunt tamen omnes non eam esse cotium patriam, sed Cretensem quandam urbem, nulla alia re cognitam [1]. Plinius quidem Naxium illud non Creta sed Cypro prognatum dicit: « Naxium, ita vocantur cotes in Cypro insula genitæ. » Invitum autem cum ceteris conciliant qui asserunt cotes quidem in Cypro genitas, sed, quum non inde Romam, verum ex urbe Cretica Naxo, ubi concinnari solebant, essent allatæ, Naxias fuisse appellatas.

Ægre tamen ego insulam nostram laude proventus sui spoliari patiar, suspicarique audeam et *Scholiastas*, quod non ita mirum, et Plinium erravisse. Suidas autem et Hezychius nihil aliud nisi dicta antea ab aliis transcripsere. Primum enim lapis ille, de quo agitur, certe in Naxo reperitur, videturque, et a veteribus vulgo effossus fuisse. Tum quæ est illa urbs Naxos

(1) HEZYCHIUS, SUIDAS, Ναξία λίθος· ἡ Κρητικὴ ἀκόνη. Νάξος γὰρ πόλις Κρήτης. — *Schol.* PINDARI, l. c.

Cretæ adscripta? Nusquam alias memoratur; nec a Plinio quidem catalogo, quem dat, quarto libro, præcipuarum Cretæ urbium, adjicitur, neque rursus inter Cypri oppida adnumeratur. Non poterat autem non ejus meminisse scriptor, de qua terque quaterque sequentibus libris mentionem facturus est. Quomodo autem, si Naxii lapides e Creta vel e Cypro proveniunt, iis Creticos et Arsinoeticos, id est Cyprianos (1), opponit? Jam quæ est ista Plinii cum ceteris quasi per vim concordia? E Cypro an e Creta oriundæ cotes? Si e Cypro, cur ille omnium consensus Cretam nominantium? Si e Creta, cur Cyprum unus scripsit Plinius? Quæ autem ista fuerit consuetudo lapides, e Cypro in Cretam portatos ubi concinnarentnr, inde Romam advehi? Cur et Armeniacæ et Ægyptiacæ cotes in eamdem urbem Naxon non ferebantur? Tum Hezychius, postquam Ναξίαν λίθον, ἀπὸ Νάξου πόλεως oriundam dixit, addit : Νάξος ἱερὰ Διονύσου... Quæ est autem ea Naxos, Baccho dedicata, si non insula est Cycladum potentissima?

(1) Plin., *H. N.*, v, 35. Urbs Cypri Arsinoe.

III

DE CLARIS INSULÆ VIRIS

Hoc vero gentibus, quæ agris colendis dant omnem operam, insitum, ut opibus quidem florentes, ingenii fama raro excellant. Sic, quum ceteræ insulæ poetas, musicos, philosophos, scriptorum omne genus protulerint, nulla Naxo laus similis a veteribus tribuitur. Duo nomina tantum artium gloria clarorum virorum ad nos mandata, Byzen et Evergon (1). Byzes, sculptor vel architecta, templum Olympii Jovis marmoreis e Pentelico laminis, tegularum vice, cooperuit. Ejus filius fuit Evergos, qui, quum operum alicui nomen suum inscriberet addidit et patris :

Νάξιος Εὔεργός με γένει Λήτους πόρε, Βύζεω
Παῖς, ὃς πρώτιστος τεῦξε λίθου κέραμον.

Vixerunt autem ambo Halyatti, regis Lydorum, et Cresi temporibus. Additur his athleta, Leonidas, cestus pugna victor, cujus statua Olympiæ erat conservata (2) : tum Eudemus, quem inter scriptores historiarum annumerat Pausanias. Superest ut Critona, quemdam memoremus, cujus sub nomine aliquis de

(1) Pausan., V, 10, 3.
(2) Pausan., VI, 16, 5.

astronomia tractatus traditur, *Octaeteris* vel *Enneaeteris* inscriptus [1], quem alii Eudoxo [2] vel Eratostheni [3] attribuunt. Notus etiam ex uno Galiani loco (XVII, 68), Apollonius a Biblo oriundus, Ægyptius certe, non Naxius, qui de caracterismate morborum scripsit.

De rebus Naxiacis quatuor scriptores commentarios reliquerant. Ac primus quidem Aristoteles, περὶ Ναξίων πολιτείας [4], quæ fuerit civitatis Naxiæ constitutio, inter cetera institutorum græcorum exempla, adjunctis historiarum paucis particulis exposuerat. Philteas [5], de quo nihil nisi nomen restat, a Siciliæ urbe, Kale-Acte dicta, originem ducebat. Reliqui autem, Andriscus et Aglaosthenes [6], qui pauca fragmenta nobis transmisere, unde oriundi? Num jure conjici potest Naxios fuisse illos, qui patriæ suæ res gestas posteritati commendare voluerint? Eam igitur qualiscumque est, gloriam indigentissimæ civitati concedere liceat.

(1) Suidas : Κρίτων.
(2) Plin., *H. N.*, xviii, 74.
(3) Eratosth., *Frag. chronol.*, 204.
(4) Athen., viii, 348.
(5) *Etymolog. Magn.*, p. 795, 12. — *Schol.* Lycophront., 633.
(6) Hygin., *Poetic Astron.*, II, 17, 2.

IV

DE NUMINIBUS ET RELIGIONIBUS

Ceterum, ut de rebus divinis mentionem inijciam, Naxos, etsi Delo cederet, omnium insularum sanctissimæ, in cujus honorem chorus æqualis Cycladum e fluctibus emersisse dicebatur [1], tamen inter sacerrimas erat. Duorum enim numinum domicilium fuisse habebatur [2]. Quum infans Jupiter, ab ira patris sui in Idæ antris nondum satis tutus esset, a Creta illum secreto furto nutrices in Drion montem transtulere. Ibi quum latuisset educatus ad juventam pervenit. Quadam die, sacra in summo cacumine operanti, subito sese obtulit aquila, fulmen unguibus ferens. Quo arrepto, juvenis Deus in Titanas irruit, victorque cœli dominatione potitus est. Triumphum in insula Naxo, quasi in patria, egit, et in aquilam transformatus infantiæ sedem suæ revisit, priusquam Olympum peteret. Hæc de summo Deorum memorant Naxii, quæ possunt indicare numinis illius notitiam a Creta ad insulam nostram fuisse advectam, quo tempore forsan

(1) STEPHAN. BYZ., *Delos*.
(2) AGLAOSTH, Ναξιακά, citat. ab HYGIN, II, 17, 2. — ERATOSTH., *Catasterismata*, II, 30.

maris imperium penes Cretenses fuit. Importatæ enim ad se latentis Dei fabulæ addiderunt translationem ad hospitium terræ suæ Naxii, ut vere suum numen ex alienigena facerent. Fuit enim antiquis gentibus hic mos, ut vel assumpto aliunde Deo originem patriam fingerent; quumque unus idemque Deus a plurimis populis acceptus fuerit, nullum est numen quod non ex plurimis regionibus, imo ex pluribus mundi partibus genus duxisse a diversis auctoribus perhibeatur.

Quanquam vero Jovem accuratissime coluerunt Naxii, ut apparet ex illis in insula repertis inscriptionibus : ὅρος Διὸς Ὀλυμπίου, ὅρος Διὸς Μηλωσίου (1), tamen Baccho, vel potius Dionyso, ante omnes dedicata fuit insula; ejus nomen tulit, Διονυσιάδα; ejus favore inter alias nota erat : Νάξος ἱερὰ Διονύσου.

> Naxon, ait Liber, cursus advertite vestros;
> Illa mihi domus est.
> . . . Delatus in illam,
> Accensis aris, Baccheia sacra frequento (2).

Inter eas enim erat regiones, quæ se patriam Dei illius fuisse contendebant (3). Credebatur autem vulgo Bacchi cultus ab Ægypto, per Cretam, Naxon advectus, priusquam in totam Græciam diffunderetur. Herodotus nempe (II, 144), Bacchum eumdem esse dicebat quem Osirim, addebatque Orphei Carminum auctor eum esse Titanum manibus laceratum, quæ sors Osi-

(1) Bœckh., *C. I. G.*, nos 2417, 2418.
(2) Ovid., *Met.*, III, 636, 689.
(3) *Hymni Homerici*, xxvi, 1-5.

ridis fuisset. Referebat Diodorus (V, 75) in Creta, septentrionem versus, in geminis portubus (δίδυμοι κόλποι), duas esse insulas, Dionisiadas dictas, quo duxerit calonos Ægyptios Bacchus, Jovis et Proserpinæ filius. Recepto apud Hellenicos Deos Dionyso, inventæ sunt fabulæ quibus Græcus et in Græcia natus haberetur. Tunc narratum est Semelem, Thebarum reginam, Jovi succubuisse prolemque concepisse [1]. Quum autem Deorum rex nollet filium suum ex mortali nasci, quem immortalitati destinaret, matrem fulmine percussam, priusquam parturiret, in cœlum transtulit; fœtum vero ejus, in femore inclusum suo gestavit, octavoque mense in lucem edidit. Locus rei electus Naxos, ibique tribus Nymphis, Philiæ, Coronidi et Clidæ creditus puer qui secreto educaretur.

Infensa autem Juno, postquam conjugis sui filium Naxi esse audiit, adultum jam et prope juvenem dementia afflixit [2], misitque per totum terrarum orbem vagabundum. Bacchus vero sanitatem mox, immensamque postea gloriam, dispersa per gentes feras et usque ad Indos græcorum morum humanitate, recepit. Exhaustis tandem laboribus, ab Icaria Naxon versus, specie mortali latens, navi Tyrrhenæ quum inveheretur, insidiati sunt ei nautæ, vim parantes. Jamque prætermissa Naxo, Asiam petebant, ubi in servitutem venderetur, quum subito reve-

(1) Hesiodus, *Theog.*, vers 940. — Diod., V, 52. — Apollod., *Biblioth.*, III, 3. — Ovid., *Metam.*, III, 260.
(2) *Hymni Hom.*, xxvi. — Ovid., *Met.*, III, 630.

latus Deus scelestos homines, injecto furore, in fluctus de puppe demersit : inde natum delphinorum genus. Tunc ad littora delatus, derelictam a perfido Theseo invenit Minois filiam, Ariadnam [1] ; misericordia motus, solatur inopem, secumque in Drion montem ductam, uxoris loco habet et immortalitate donat. Splendet deinceps inter astra Ariadnæ corona, felix navigantibus sidus [2]. Sæpissime a pictoribus antiquis tractata hæc fabula, sæpe a poetis recantata, stans in littore deserto puella, dum fugientem Theseos ratem flens prospicit. At parte alia, Bacchus cum Satyris assuetoque choro, spem lætitiamque ferens apparet. Alias, positam somno, ita dolore exhausta fuit, deprehendit Deus, formamque dormientis admiratus stupet [3].

Hæc est fabula, qualem effinxit poetarum posteriorum consensus : verum priores rem aliter narrant. Non cum Theseo de Ariadna certavisse Bacchum, sed cum altero numine, maritimo Deo, qui Glaucus nominatur [4] ; victorem Jovis filium, sua cum æmulo consanguinitate cognita, conciliatum mox fuisse, et impulisse eum ut æqua benevolentia gentem Naxiam foveret. Ibi deprehenditur certamen illud quo primitus inter se contenderunt prisca novaque numina,

(1) Ovid., *Heroid.*, x; *Ars amat.*, I, 527, 564; *Metam.*, VIII, 174. — Seneca, *Trag. Œdip.* — Catullus, *Epith. Thet. et Pelei.*

(2) Eratosth., *Cataster.*, 5. — Columell., x, 52 : Naxius ardor.

(3) Philostr., *Imag.*, I, 15.

(4) Athen., VII, 47.

quod inter rapaces vagosque per mare piratas exarsit atque agricolas, campis insidentes et victum sibi aratro parantes. Vicere terrestres opes, insularumque incolæ a perpetuo prædonum terrore liberati, rei suæ operam securi dare potuerunt. Illa autem, quam primam narravimus Ariadnæ et Bacchi fabulam, Atheniensium est [1], gloriantium quod dedignatam ab heroe suo feminam haud aspernatum fuerit numen. Alia est Naxiorum opinio, quasi eam non deseruerit infidus conjux, sed, vi ac minis Bacchi territus, invitus discesserit [2]. Adstans enim ei in somnis Deus, horrenda voce jussit navem conscendere, patriamque sine Ariadna repetere. Dolore amens Theseus nigra ratis suæ vela mutare albis oblitus est, quæ mortis patri causa fuit.

Sunt etiam qui duas fuisse contendant Ariadnas [3], unam quam Bacchus uxorem duxerit, alteram a Theseo desertam, cujus sepulcrum Argis se vidisse affirmat Pausanias (II, 23). Quod quidem confirmat duplex Ariadnæ a Naxiis habitus honor. Quum enim Telluris fecunditati assimularetur, vere novo, festis ludicris, naturæ e somno ac quasi e leto resurgentis gaudium celebrabatur; inclinante autumno, hiemalem soporem et languorem naturæ lugubres pompæ significabant [4]. Sacrosancta dea, ἀρι-ἁγνά, audiebat Bacchi uxor, fecundantis ac luxuriantis Dei.

(1) Plutarch., *Thes.*, 19, 20.
(2) Diodore, IV, 61; V, 52.
(3) M. Duncker., vol. III, p. 108, 474.
(4) Hœck., *Creta*, II, p. 128.

Eo apud Naxios Bacchus florebat honore, ut templi ejus sacerdos, non solum ceterorum Deorum sacerdotibus præstaret, sed etiam annorum ordinem et seriem nomine suo designaret. Ergo quotannis a populo eligebatur unus ex primariis civitatis, qui hunc quasi magistratum gereret et rebus sacris, forsan et civilibus quibusdam, præesset. Exstat hujus rei documentum (1), decretum primis quarti vel ultimis quinti ante Christum natum seculi annis adscribendum, in quo Bacchi sacerdos Naxi eponymus magistratus declaratur. Postea tamen, sub Romana ditione, vel etiam jam post mortem Alexandri, Ptolemæorum ætate, alium ad magistratum honos ille translatus. Invadentibus enim Græciam novis ab Oriente extremo allatis religionibus, desueverunt vetera numina coli, eque altaribus, ut ipsa priora dejecerant, dejecta sunt. Tunc vel alius cujusdam Dei sacerdos, vel gymnasii præses, vel civilis quidam aut militaris magistratus eponymatu frui cœperunt (2). Quamdiu autem hellenici vere cultus floruerunt, munus hoc penes Bacchi sacerdotem fuit.

Naxiæ monetæ, quolibet ex metallo, qualibet ætate, Bacchi vel figura vel capite distinctæ. Recentioribus tantum juvenilis illa imberbisque Dei, quam novimus proprie hellenicam fuisse, facies impressa est. Ceteræ

(1) Bœckh., *C. I. G.*, no 2268.

(2) Vide infra inscriptiones Naxi repertas : N° 6o, Ἐπὶ γυμνασιαρχοῦντος... N° 8o, Ἐπὶ δημιούργου... ἱερέως δὲ τῆς Ῥόδου.

eum Bacchum referunt, quem Indicum nuncupamus(1), barbato vultu, capillo barbaque in Assyriorum modum calamistratis, longa demissaque prope ad talos tunica, poculum vel thyrsum dextra tenente. In aversa monetæ parte, femineum caput, vel Naxi, nymphæ quæ insulæ nomen dedit, vel unius e Bacchi nutricibus. Antiquitus etiam, rudi adhuc arte, Deus aliquo signo repræsentatus erat, uva, poculo vel scypho, hedera, vite, thyrso, laurea, vel etiam tigride aut panthera. Harum formarum aliqua æri aut argento incusa. Postea imperatorum Romanorum vel uxorum effigies in testimonium amoris civiumque studii monetis impressæ.

Ut priscæ monetæ, ita et antiquissimæ statuæ Indici Bacchi effigiem gerunt. Ligneæ quidem eæ sunt, corpus ex vinea, caput ex ficu conflatæ(2). Postea in æreis marmoreisque simulacris vicit recentior typus, figuratusque est Deus qualem se vidisse putat Buondelmonte prope Naxon oppidum, adolescens, nudus, muliebri vultu ac corpore, rejecta negligenter in tergum tigridis pelle, vitibus uvisque coronatus, et thyrso, humerove amici sui Ampeli innixus.

(1) Hœck., *Creta*, II, p. 170. — A. Maury, *les Relig. de l'antiq.*, I, sub fine.

(2) Andrisc., Ναξιακά fr. — Aglaosth., id.

PARS TERTIA

INSULÆ HISTORIA

I

AB ORIGINIBUS AD MEDICA BELLA

Insulam Naxon e numero Cycladum excludit Dicæarchus (1), qui non plures quam quinque agnoscit, Delon, Ceon, Seriphon, Siphnon et Kimolon. Ceteri vero omnes et Cycladum unam, imo maximam proclamant (2). A proxima insula, Paro scilicet, « septem millibus quingentis passibus (3) » distat, interjecto angusto inter ambas maris freto, quo sunt ampliora quæ-

(1) *Fr.* 147; *Fragm. Histor. Gr.* (Didot).
(2) AGATHEM., I, 5, *Frag. Hist. Gr.* (Didot). — HEROD., V, 31.
(3) PLIN., *H. N.*, IV, 32.

dam fluminum ostia. A Delo vero (1), insularum omnium capite et quasi centro, circiter quinque et triginta millibus passuum remota est. Icaros vero, Sporadum proxima, decem et septem millia passuum a Naxo abest (2).

Primum insulæ vocabulum a forma inditum rotunda, quippe multos per annos *Strongyle* (3) audiit. *Diam* (4) deinde nomen ab Oto et Ephialta accepisse narrat Diodorus (IV, 61), sive ex fertilitate, sive in memoriam natorum educatorumque ibi Deorum; tandemque Naxon ex suo ipsius nomine ab heroe Naxo (5), dictam fuisse, seu Dianæ Endymionisque, seu Apollinis et Acacallidos, Creticæ nymphæ, filio, qui Cariorum stirpi est ascribendus. Dia, Thesei adhuc temporibus; Homeri autem jam Naxos vocabatur (6).

Fuere tamen quibus fabulosa hæc nominis hujus origo non placeret, quique alia commenti fuerint. Nam, si quibusdam credas (7), Νάξος idem est quod Doricum verbum νᾶσος quod νῆσον, *insulam*, significat, quasi Naxos sit ἡ κατ' ἐξοχὴν νῆσος, omnium insularum pulcherrima et nomine isto dignissima. Siquidem apud

(1) Solin., xi, 31.
(2) Plin., *H. N.* iv, 23.
(3) Aglaosth., Ναξιακά, *Fr. Hist. Græc.* (Didot). — Diodor., iv, 50, 51. — Plin., *H. N.*, iv, 22.
(4) Theocrit, II, 46. — Apoll., Rhod., iv, 424, 433. — Catull., lxiv, 52, 121. — Ovid., *A. A.*, I, 528; *Met.*, III, 597, 687.
(5) Alex. Polyhist., *Cretica*, *Fr. Hist. Græc.* (Didot).
(6) *Hymn. Homer.*, xxvi, 1; I, 44.
(7) Meletius, *Geogr.*. Νάξος.

antiquos insulæ, ob cœli temperiem et dulces omnium ventorum afflatus, ut amœnissima domicilia et veræ felicitatis sedes habebantur (1). Insulas incolunt et Calypso, et Circe, et Phæacum beatissima illa gens; insulam finxerat Atlantidem suam Plato, iisque quos vitæ communis et civilium factionum, et quotidianarum nostris in hominum cœtibus ærumnarum tædebat, patebant Beatæ insulæ. Tum etiam in insulas migrare credebantur honestorum manes, ubi dignam moribus suis mercedem, in omnibus vitæ deliciis, acciperent. Inde insulæ titulo ornata fuit Naxia illa tellus, ubi optimo jure potuerit Græcia Elysios campos collocare.

Euphorion (2) aliam etiam Naxi etymologiam fingit a verbo νᾶξαι, quod idem ac θῦσαι, « *sacrificare,* » significat; ita ut illa insula sacrificiorum fuerit. Nempe dicunt, in memoriam Bacchi qui octavo mense « in luminis oras » ibi prodierit, feminas Naxias a Junone hoc munus tenuisse, ut et ipsæ octavo mense partu exonerarentur; inde morem illum invaluisse, ut quotannis publice Junoni feminæ litarent, qui suum insulæ nomen dederit. Cetera autem, quæ memorantur ab Aglaosthene, Diodoroque et Plinio insulæ vocabula, Dionisiada, Callipolis, Altera vel Minor Sicilia, laudes, non nomina sunt.

Quo autem tempore primi incolæ in insulas Ægæi

(1) CURTIUS, *Naxos*, I.
(2) STEPH. BYZANT., Νάξος.

maris appulerint, incertum. Conjici tamen potest eas sero tantum cultas fuisse. Quum enim populorum ex India in Occidentem migrantium turba per medias Europæ continentis valles ad Hispaniam usque tenderet, regiones læva dextraque sese offerentes distractæ ab ipso agmine tribus vicissim occupabant. Longum igitur elapsum est tempus priusquam insidentes littoribus Mediterraneis coloniæ eo culturæ et prosperitatis pervenirent, ut, navibus instructis, angustiora primo, mox vastiora freta trajicerent, inque insulas dispergerentur homines. Quem vero res habuisse tenorem ratio ipsa indicat, confirmat veterum temporum fama. Ut enim in hoc consentiunt quæcumque gentium memoria servata sunt, suos Græciam incolas ex septentrione, ex Thracia, ex Macedonia accepisse, ita cultiores mores, litteræque et artes ex Oriente ac meridie paulo post affluxisse narrantur. Nempe quum occidentalis Europæ partes vix frequentari cœperant, jam florebant industria opibusque Orientis maritimæ civitates; jam Phœnices, Assyrii, Lydique et Ægyptii, cum ceteris gentibus commercia jungere conati, colonos et in Græciam, et in Italiam, et in Galliam, in Hispaniam etiam Africamque mittebant.

De insula Naxo hoc traditur : Primos in terram eam appulisse, ibique sedisse Thracas [1], Bute duce et auspice ; Buten vero, Boreæ, regis Thraciæ, minorem filium, quum fratri majori, Lycurgo, insidiatus et de-

(1) Diod. Sic., V, 50,51.

prehensus esset, exsilio cum sociis ac consciis sceleris sui patriam mutasse; tum recto itinere in insulam Strongylen advenisse, quæ expositos in littore dulcedine cœli et soli fertilitate detinuit. Ibi igitur quum sedem suam constituissent, de navigantibus prædas egerunt, quo vitam tolerarent. Nondum tamen unde viveret ac floreret colonia suppetebat; deerant insuper feminæ ad suscipiendam sobolem propagandumque genus. Cœperunt igitur Thraces navibus suis vicina quæque loca circumire, ad mulierum rerumque simul rapinam. Sed quum Cyclades ceteræ, quæ paucos et ipsæ incolas habebant, minus ditem prædam offerrent, ab Eubœa, quam tentaverant, repulsi, usque in Thessaliam penetravere, adque littora Achaiæ Phthiotidos, ubi est urbs Drios, ejusdemque nominis mons, appulere. Solemnes tum forte Baccho choros mulieres Thessalæ, cum Dei nutricibus nymphis, agebant. Irruunt prædones, et tardissimam quamque trepido cursu fugientium abripiunt, inter quas Coronida, ipsamque reginam Iphimedeiam cum filia Pancrati. At Bacchus haud impunitam passus illatam nutrici suæ vim. Vix enim manum ei quum intulisset Butes, furore correptus subito, amens in puteum se præcipitem dedit. Primi post illum Thracum ductores [1]. Scellis et Hecetoras, pari Pancratidos amore ardentes, gladio stricto concurrere, mutuisque occubuere vulneribus. Reduxit domum Agassamenes prædones raptasque

(1) Andrisc., Ναξιακά. Scellim et Cassamenem duos illos Thracum principes nominat.

feminas, servataque sibi Coronide, Iphimedeiam uni ex amicis in matrimonium tradidit.

Interea, Aloo patre ac rege jubente, Otus et Ephialtes, ad quærendas matrem sororemque e Thessalia profecti, Ægæum mare pererrabant. Ubi cognovere eas Naxum esse advectas, insulam invasere, brevique in ditionem suam redegere. Hic finis Thracibus prædationum fuit, moresque cultiores in coloniam admissi. Diam fatres Strongylen dixere, non diu regnaturi. Mox enim, mortua sorore, dissensio inter eos orta, seseque invicem, prælio congressi, infensis animis exstinxere. Servaverunt Naxii heroum memoriam, et sacris honoribus prosecuti sunt. Postea, ut fere fit, fabulis additis, historia eorum consecrata quidem ac mirabilis effecta est, sed deformata nec quæ jam agnosceretur [1]. Immani enim memorant geminos fratres corpore fuisse, novem jugera altos, novem cubitos latos, indomitisque viribus Olympios terruisse, imposito Ossæ Pelio cœlum affectasse, Martem catenis oneravisse, et tandem, quum Dianæ vim ac stuprum inferre tentassent, Apollinis Virginisque ipsius sagittis esse domitos. Sacrarium illis in valle Melanibus, quo ceciderant loco, erectum, exstatque inscriptio, quam supra retulimus.

(1) De *Oto* et *Ephialta* vide : HOMER., *Odyss.*, XI, 305-321; *Iliad.*, V, 385. — PINDAR., *Pythic.*, IV, 115, 156. — HERACL., 33. — APOLLOD., *Bibl.*, I, 7, 4. — APOLLON. RHOD., I, 481; *Narrat. anonym.* cum PARTHENIO, 10, 11. — PAUSAN., IX, 22, Heroum sepulcrum apud Anthedontem, Bœotiæ urbem maritimam, se vidisse affirmat, ubi et notum Bacchi templum.

Ducentos circiter annos in insula Thraces remansere (1), vel præda, vel agrorum cura vitam sustentantes. Tandem siccitate totius anni et inopia expulsos in patriam pristinam necessitas redintegravit. Probabile vero est non eos intra tantum temporis spatium omnino tranquillos, inque Ægæo mari, nullo usquam adversante, dominatos esse. Florebat enim eo tempore gens quæ, a Syriæ littoribus usque ad Columnas Herculis, Mediterraneum mare totum classibus et coloniis obtinuerat. Illa piratas pro hostibus habere atque instanter urgere, si comprimere omnino non poterat, debuit. Quæ enim hominum inter se commercia floreant, nisi sint tuta? Condiderunt autem Phœnices emporium in insula Oliaro (2), prope Paron, stationemque ad reficiendas onerandasque insularibus proventibus rates. Neque absurdum est credere eos, qui negotiorum tanta calliditate et experientia præditi erant, Naxon haud neglexisse, atque inde fructus aliaque hujusmodi exportasse. Inter Rhenei insulæ inscriptiones, una ostenditur quæ nomen Phœnicium quoddam, inter familias Naxon incolentes, refert (3) : Μαάρ-[ω] Ναξία. Eane est una ex Phœniciis, olim in insulam advectis, gentibus quæ, etiam post Hellenicam occupationem, in Cycladibus remanserunt, an aliqua ex Tyriis illis familiis, quæ post Alexandrum in insulas Ægæi maris mores, religionem artesque suas transtu-

(1) Diodor., V, 50.
(2) Heracl., Pont., 2.
(3) *Expéd. scientif. de Morée.* Inscript. de Rhénée, I.

lere? Multam enim similium mentionem in inscriptionibus relatam invenias [1].

Difficile autem est his de temporibus certa affirmare : quæ enim documenta a Græcis accepimus hominum sunt neque linguas priscas neque tempora, neque locos bene dignoscentium, quibusque ars desit veteris famæ tenebras illustrandi, et fabularum quamque ad suam patriam, suamque ætatem referendi. Verisimillimum, imo verum est, Cycladas, quum, vicinæ quidem inter se, hac parte Asiam, illa Græciam, illa Africam spectent, ex tribus partibus fortasse pariter et simul incolas suscepisse; piratas vero illos ac prædones prius fuisse quam se culturæ agrorum artiumque vitæ necessariarum traderent [2], mutuisque latrociniis et se invicem et circumjacentes terras vexavisse, donec gens una armorum vi in ceteras dominaretur, omniaque pace componeret. Cujus autem primo gentis fuerit illud maris imperium, Thracumne an Carum, an Lelegum, an Cretensium novisse arduum, quum pleræque historiæ inter se discordent, et gens, imo civitas, imo urbs quæque, laudis amore rapta, mendaciis audacissimis atque fidem omnem exsuperantibus vera contaminaverit. De Caribus, ut exemplo utar [3], non constat utrum ex Asia oriundi, solo suo indigenæ, Lydorumque et Mysiorum consan-

(1) Bœckh., *C. I. G.*, Inscript. de Delos; *Expéd. scientif. de Morée*, Inscript. de Delos et de Rhénée.

(2) Thucyd., I, 4.

(3) Herod., I, 171; Strabon, x.

guinei fuerint, ita ut communia Mylasæ sacrificia habuerint, an e Cycladibus, priore suo domicilio, in continentem terram transmigraverint. Narrat Diodorus [1] eos e patria sua, Latmia urbe, pulsos, in insulam Naxon, Polemone regnante, advenisse, quæ post Thracum discessum vacua erat. Polemoni successit Naxos [2], virtute et fortitudine, origine etiam divina ita clarus, ut insulæ nomen suum indiderit. Regnavit postea filius ejus Leucippus, tum Smerdius nepos, cujus temporibus appulisse ad littora insulæ memoratur Theseus.

Ea ætate constitutum fuerat primum, quod ad nos fama traditum fuerit, maris imperium [3]. Minos, rex Cretensium, quum prædonum incursiones ægre ferret, adversus eos navibus instructis ierat, victosque ad deditionem et pacem redegerat. Ita plerasque Cycladum, missis etiam in plurimas colonis et præsidiis, sub ditione habebat. Cares tunc Leleges appellabantur, præcipuamque nautarum partem regiis navibus imperati suppeditabant. Nulla vero pendebant tributa, neque id erat Minois, fratrisque ejus, Rhadamanthus, imperium quo oppressi gemerent. Justitiæ enim et æquitatis observantia tantam sibi gloriam ambo comparavere, ut, etiam post mortem, in inferis jura dare dicerentur. Exstincto autem Rhadamantho, inter filios nepotesque

(1) V, 51, 53.

(2) Alexand. Polyh., *Cretica*, dixit Naxum Apolline et nympha Acacallide ortum. (*Fr. Hist. Græc.* Didot.)

(3) Diodor., V, 51, 53, 78. — Thucyd., I, 4.

ejus divisum regnum, quæ infirmitatis causa fuit. Mox enim fracta Cretensium potentia, postque belli Trojani tempora, maris imperium penes Cares erat [1], et mare Caricum, quod deinde Hellenicum, dicebatur.

Naxos an sub Cretensibus fuerit, incertum; quum enim, in Cycladum insularumque ceterarum inter filios Rhadamanthus partitione, Paros, Andros, Delos nominentur, nulla Naxi mentio fit, filioque Ariadnæ et Bacchi, Œnopioni, non ea insula, sed Chios attribuitur. Attamen ex similitudine Creticarum Naxiarumque de Baccho et Jove fabularum, ex Ariadnæ historia quæ, ex Creta oriunda, Naxon appulit, ex ea quæ fingitur Jovis infantis ab Ida Cretico in Drion Naxium translatione apparet insulam nostram, quamvis regem quidem suum, Smerdium vel Leucippum, retinuerit, Minoi et Rhadamantho nihilominus paruisse, saltemque aliquid societatis intimæ et commercii cum Cretentibus junxisse.

Carum vero haud ita diuturna fuit in insulas dominati. Quum enim vix quinquaginta vel sexaginta annos durasset, æmulis potentioribus cedendum fuit. Peloponneso enim aliisque Helladis partibus a Doriensibus expulsi [2], Æoles, Iones, Achæique in Ægæi maris insulis, et Asiæ Minoris littoribus sedes novas sibi quæsiere. Jam antea occupatæ ab Argonautis, vel potius a nepotibus eorum, Melos et Thera fuerant; postquam et ceteræ insulæ Hellenicæ factæ sunt,

(1) Diodor., I, 53, 78.
(2) Diodor., V, 84.

abiere Cares, domiciliumque priscum repetiverunt (1). Illic tamen, in memoriam insulæ quam diutissime et felicissime occupaverant, unam ex urbibus suis Naxon vocavere (2).

Naxon Iones occupavere : qui vero fuerint coloniæ duces, qua Græciæ urbe profecti, disceptatur. Quo enim tempore Athenienses Ægæi maris imperium obtinuere, id egerunt, ut eas de priscis temporibus fabulas vulgarent quæ omnibus Cycladibus communem originem eamdemque, ex Athenis darent. Sic enim, consanguinitate subjectorum perspecta, firmiorem fore dominationem suam arbitrabantur. Itaque, quum litteris artibusque pollerent non minus quam armis, obtinuere ut, quas invalescere vellent, fabulæ cito reciperentur, ceteræ obsolescerent. Si enim credimus Atticis scriptoribus, vel illis qui sequuntur eorum auctoritatem, omnes coloni, priusquam in diversas partes discederent, Athenas confluxere, unde, ducibus et auspiciis assumptis, in Asiam Minorem, Cycladas, Siciliamve dilapsi sunt. Si quibus in locis manserat ducum veterum memoria, nominibus servatis, illi Athenienses fuisse crediti sunt. « Est in Pœaessa templum Minervæ Nedusiæ, eponymum loci cujusdam Nedontis, unde dicunt Teleclon colonos ad Pœaessam, Echeias et Tragion duxisse (3). » Quæ autem sunt istæ urbes? In Ceo quidem insula Pœaessa et

(1) Diodor., VII, 12.
(2) Alex. Polyhist., *De Caria*.
(3) Strabon, VIII, p. 360, ed. Casaubon.

Echeiæ inveniuntur [1]; Tragion vero nonne eadem est urbs quam Trageam vel Tragæam vocant alii ? Ea autem in insula Naxo erat. Hinc colligitur Naxon a Messenia colonos accepisse. Dux autem eorum Teleclos, quem scholiastes ad Dyonisium Periegetem (V, 526) Teuclon vocat. Dicit autem heroem illum Atheniensem esse, sociumque ei addit Archetimum quemdam : « Cycladas omnes coloniis obtinuerunt Athenienses; duces autem... in Naxon Archetimos et Teuclos. »

Rem alio modo exponit Ælianus [2], aliisque nominibus, et ex Atheniensium commentis. Quum enim Codri filius, Neleus, negatum sibi Athenis regnum in Asia quæsiturus abiisset, impulerunt venti naves ejus ad Naxon, ibique in portu pertinaciter cohibuerunt. Consultus autem vates respondit nullum fore inde exitum, priusquam classis expiaretur : nonnullos enim expeditionis participes irrepsisse, quorum respersæ cruore manus et mentes impiæ; illos igitur esse detegendos eque cœtu et societate ceterorum excludendos. Quos ut dignosceret, hæc machinatus est Neleus. Quasi sibi sceleris nondum expiati conscius esset, e turba in secretum secedens, solita exsecutus est piacula. Tum si qui alii sibi alicujus facinoris essent conscii, hortatus est ut tale imitarentur exemplum. Inde quicumque ejus dolo decepti inductique sunt ut se pariter noxios confiterentur, iis in insula relictis, cum classe

(1) Bronstedt, *Voy. en Grèce*, 1 liv. Céos, p. 89.
(2) *Hist. var.*, VIII, 5.

in Asiam, navigavit, ubi magnum sibi conflavit imperium. Naxon vero urbem relicti in insula Athenienses condidere, quæ mox florentissima evasit.

Eodem tempore, Cyclades pleræque, imo omnes, novos acceperunt incolas. Ubi vero sedibus suis illi tuto insederunt, fœdus inter se jungere cœperunt, remque publicam omnium communem constituere. Delos, quæ a principio sanctissima habita erat, caput fundamentumque societatis fuit. Jam enim ante Trojanum bellum, antiquissimus ille Athenarum rex, Erysichthon, inde statuam Elithyæ, parturientium feminarum adjutricis, arcessiverat [1], sacrasque quotannis instituerat pompas, quæ a Prasiis, Attico portu, Delon devectæ, patrono Ionicæ gentis Deo, Apollini, vota precesque Atheniensium perferrent. Duodecim civitates [2] fœderis participes, sacro illo observato numero, quem et in Asia et in Europa, jungendis societatis qualiscumque vinculis, veteres quasi sacrum habuere. Priscis enin illis temporibus, religione potius quam civilibus institutis conciliabantur inter se Græcæ civitates. Ante utilitatem, ante patriæ amorem valuit religio. Quum urbs quæque vicinarum æmula, imo invida, vel eas servitio opprimere tentaret, vel ipsa premeretur, assiduis bellis, in quæ et ipsi Barbari hujus vel illius auxilio appellabantur, vexata fuit Græcia, semper in cruore, semper in luctu, vel quum esset florentissima. Tamen inter illas infensissimis animis productas discordias

(1) PAUSANIAS, I, 13. — ATHENÆUS, IX, p. 392.
(2) STRABON, X, 5.

durabant sacra concilia [1], et, dicto tempore, remissis parumper simultatibus, ad commune gentis suæ templum, Mylasam, Delon, Delphos, Mycalum, Grynium, Olympiam, civitatum legati conveniebant.

Nec tamen statim hæc Cycladum societas instituta est [2] : longo temporis spatio opus fuit ad ordinandas cujusque civitatis res, ad conciliandos advenientibus priscorum incolarum animos, ad vulgandum per totum mare unius linguæ, ejusdemque Ionicæ, usum. Homerus, qui Delon [3] memorat ut Apollinis sacrarium, Cycladum nomen non novit, quod recentiori tantum ætate insulis inditum est, quum jam fœdus inter Ionicas urbes constitutum invaluisset. Homericorum autem hymnorum, quisquis fuit, auctor [4] solemnes illas vidit pompas quas Iones in honorem numinis sui ducebant. Insula quæque, sacrorum particeps, adolescentes utriusque sexus eo mittebat, qui cantu et carminibus laudes dei celebrarent. In tanto Asiæ Græciæque et Ægæi maris civitatum concursu, gymnici ludi, musicæ carminumque certamina agebantur.

Quæ autem primo duodecim civitatum fuit societas, nunc crevit, nunc imminuta pro temporibus est, libereque sese vel fœderi addebant, vel eximebant insulæ. Inde parum conveniunt veteres et de numero et de nominibus Cycladum. Dicæarchus enim (fr. 147) quin-

(1) Isocrat., *Paneg. Athen.*
(2) Brondstedt, *Céos*, 59, 61.
(3) *Odyss.*, vi, 162.
(4) *Hom. Hymn.*, I, 146. — Thucyd., III, 104.

que Cycladas solum enumerat, Delon, Ceon, Seriphon, Kythnon et Kimolon; duodecim, Strabo (X, 5); quindecim, Artemidorus [1], præter Delon. Thera autem et Anaphe nunquam in societatem receptæ fuerunt [2]; Melos eo tempore accessit [3], quo Athenienses accepit colonos.

Ubi Ionicæ coloniæ tuto in sedibus suis constitutæ sunt, Græciaque tot ac tantis populorum migrationibus turbata quievit, Naxos brevi inter ceteras insulas præcipuum locum obtinuit. Prima enim [4], quo facilius negotia tractarentur, pecuniam ex ære argentoque conflavit, compressisque prædonibus securum mare navibus frequentavit. Haud multo post, quum jam crescenti in dies populo non sufficeret, alio colonos misit. Carcesios insulam proxime sitam, Amorgon [5], cum sociis quibusdam habiturus, occupavit, et nomine ornavit. Chalcidensi vero Theocli se adjecere haud ita pauci Naxii, ut urbem in Sicilia Naxon conderet, quæ postea Tauromenium fuit [6]. Ephorus tamen, a Strabone citatus [7], non Naxios ipsos nominat, sed Ionas quosdam dicit Megarensesque se Chalcidensibus addidisse; Theoclen vero Atheniensem fuisse, quumque

(1) Steph. Byz., Delos.
(2) Ammian. Marcell., xxii, 8. — Plin., *H. N.*, iv, 22.
(3) Pompon. Mela, II, 7, 10.
(4) Aglaosth., Ναξιακά.
(5) Nicol. Damas., 47, *Fragm. Hist. Græc.* (Didot); *Schol.* Dionys. Perieg., V, 525.
(6) Steph. Byz., Νάξος, Χάλκις, citans Hellanicum, fragm. 50.
(7) Strab., X, 5, frag. Ephori, 52.

tempestatibus in Siciliæ littora ejectus esset, ita amœnitate loci esse illectum [1], ut coloniam eo deducere statuerit. Assumptis igitur multis Chalcidensibus, e civitate ob intestinas discordias pulsis, Naxon urbem condidit. Quo autem modo factum est ut urbs illa Naxos nominaretur, nisi major colonorum pars e Naxo insula confluxit? Constat autem ex posterioribus testimoniis appellationem eam haud temere urbi esse indictam. Nempe etiam quum desuevisset Naxos vocari, Tauromeniumque jamdudum diceretur [2], servabat templum, maxima veneratione cultum, Ionicæ originis monumentum : Augusto enim Cæsari Tauromenium appellenti [3] occurrit primo templum illud, Apollinis *Archegetæ* dictum, quod Naxii, in Siciliam missi coloni, ædificaverant. Ut Naxorum illam Cariæ, alteramque Cretæ urbem omittam, quæ videntur ab ipsis Caribus Cretensibusque, Naxo insula expulsis, conditæ, invenitur in littoribus Euxini Ponti fluvius Naxius dictus [4], ubi fratrem suum Absyrtum Medea occidisse narratur. Inter Tomos autem Heracleamque præterfluit, quæ sunt et ipsæ Græcorum coloniæ ; unde conjici potest a quibusdam Naxiis, qui coloniæ participes erant, hoc flumini impositum nomen, quo patriam suam honorarent.

(1) Scymnus Chius, *Orbis descr.*, 277.

(2) Plin., *H. N.*, viii, 14. Colonia Tauromenium, quæ antea Naxos. — *Itiner. Anton.* Naxon pro Tauromenio posuit. — Cf. Solin., V, p. 19. — Diod. Sic., xiv, p. 282; xvi, p. 411.

(3) Appian., *Bell. civ.*, V, 107.

(4) Ælian., *H. A.*, xiv, 25.

Eo potentiæ provecta Naxos navibus ad protegendas augendasque opes indigebat. Nulli autem erant in insula portus. In propinquam igitur Paron conjecere oculos, quæ portum præbet vel nostris navium molibus sufficientem, eamque in suam ditionem redigere aggressi sunt Naxii. Bellum non uno prælio confectum, incendentibus Pariorum animos Archilochi (1) carminibus, ipsoque poeta virtutem non semper antea usitatam, exemplumque egregium præ se ferente. Tandem occubuit Archilochus, Naxii cujusdam Kalondæ manu, cui cognomen Corax erat (2). Ultus est Deus sacerdotis sui Musarumque alumni necem, et vexatus numinis vindicta Kalondas, Pythiam sibi conciliare tentavit, excusans se non innocenti mortem intulisse, sed vim vi, inter pugnandum, repulisse (3). Nihilominus coactus fuit piacula inferiasque manibus interfecti hostis offerre, et tanquam heroi litare. Anno circiter ante Christum natum 655, Paros Naxiorum in ditionem concessit.

Paulo post, eadem et Andri sors fuit, cujus e montibus devecta ligna ad extruendas naves necessaria. Hæc fuit Cycladum quasi aurea ætas; quum singulæ vel metallis e terræ visceribus lapidibusque eruendis, vel pecoribus curandis, vel agrorum cultura, vel artibus exercendis, mercaturaque cum Corintho,

(1) ARCHILOCH., *Fragm. pass.*

(2) PLUTAR., *De Sera numinis Vindicta*, 18, p. 560. — EUSEB., *Præp. evang.*, V, 33, p. 338.

(3) SUIDAS, Ἀρχίλοχος.

Syracusis, Megara, Athenis, Ægina, florentibusque Asiæ Minoris urbibus, Smyrno, Epheso, Mileto, Phoceis facienda ditescerent [1]. Deliacus thesaurus sociis ex urbibus quotannis lucri decumam percipiebat, pœnàsque graves divinitus luebat quæcumque templum justo tributo fraudare ausa esset. Teniorum enim, qui decumam abnuerant, fractæ opes, oppidumque terræ motu prope dirutum.

Bellum tamen eisdem fere temporibus exarsit quo tantum non Naxi opes funditus eversæ [2]. Naxius enim quidam, nomine Promedon, Ephesum in domum hospitis sui Hypsicreontis quum divertisset, ineluctabili amore amici sui uxorem inscius incendit. Ardorem quidem illa suum, marito præsente, celatum tenuit; reduci vero ac domicilium absentis forte Hypsicreontis pro hospitio repetenti aperuit libidinem suam. Negante illo, ac jura hospitalia prætendente, dolo usa est, noctuque in cubiculum dormientis irrepens modestiam ac virtutem ejus illecebris ac minis pervicit. Haud exspectavit læsi amici præsentiam Naxius, et pudore suffusus in patriam confestim rediit. Neæra vero, quæ amato carere non poterat, paulo post clam e domo conjugis Naxon aufugit. Eam Promedon Vestæ supplicem in templo collocavit. Marito repetenti uxorem reddere Naxii recusaverunt, nisi sua sponte relictum thalamum ipsa reposceret. Inde non Hypsi-

(1) HEROD., III, 57.
(2) ANDRISC., Ναξιακά. — PLUT., *De virt mul.*, 17. Πολυκρίτη. — PARTHEN., *Hist. Amat.*, 18. — POLYAN., *Stratag.*, VII, 26.

creontis modo, sed omnium Milesiorum furor, quasi violato gentium jure, bellumque ex tempore indictum. Milesii, contracto suoque et sociorum exercitu, Naxon appulere, et urbem resistentem obsidione premere cœperunt. Quum, muro circum exstructo, proxima quæque rura popularentur, oppidum quoddam sacrariumve Apollinis munitum, cui Deliom nomen, expilaverunt. Eorum, qui Delion expugnaverant, dux Erythræus quidam Diognetes, qui ultro sese Milesiis, cum conducta ex ære suo militum manu adjecerat. Ille pro sua prædæ parte virginem Polycritam accepit, ex primariis civitatis. Mox autem amore ejus exardens sese jurejurando obstrinxit, se quidquid illa postulasset exsecuturum. Haud oblita patriæ suæ puella, postulavit ut creditam sibi castrorum partem Diognetes hostibus traderet. Aversatus primo tantam proditionem est; tandem amore victus concessit. Polycrita igitur fratribus suis, qui urbis præsidiis imperabant, mittendas curavit placentas, quibus plumbeam tabellam inseruit, mandato ei, qui eas portabat, ut solos vesci juberet fratres muneribus a sorore missis. Hi quum tabellam offendissent, et legissent quæ scripta erant, ea Naxiorum civibus aperuerunt, eosque permoverunt ut secum rei gerendæ causa exirent. Hortabatur enim Polycrita ut noctu hostes a conviviis recentes et ebrietate gravatos adorirentur; exspectarent autem ex ipsis hostium castris signum, tædam incensam in auras sublatam. Haud longum in medio tempus; die dicta, quum Milesii somno essent et vino sepulti, dato signo,

per apertam a Diognete portam irrupere Naxii, et, cæde ingenti peracta, obsidentes ita disturbavere, ut naves protinus conscenderent, remearentque Miletum. Dicunt tum salutem Diogneti Polycritam precibus a civibus impetrasse. Sed alia est fama, eum inter pugnandum latuisse occumbentem, ipsamque, civibus ad portam occurrentibus magno cum gaudio, collaudantibusque et serta ferentibus, magnitudine lætitiæ exanimatam, in ipsa porta mortuam concidisse; inde ambos amantes unum sepulcrum excepisse, diu magno honore a Naxiis cultum, quod Livoris monumentum cognominatum est, quasi invidia quadam fortunæ fascinata Polycrita meritis honoribus non potuisset frui.

Virtute igitur muliebri e periculo liberata, quod muliebris fraus adduxerat, Naxos vires suas potentiamque reparavit, donec et ipsa in eum motum incidit, qui per universam Græciam auctoritatem imperiumque ab optimatibus, soli possessoribus, ad plebem aut tyrannos transtulit. Quamdiu enim publicæ opes parum floruerunt, primorum colonorum, qui armorum vi terris potiti erant, posteri summo honore, et ob divitias et ob generis nobilitatem, pollebant: ceteri vulgus humile, inops, sine gratia, sine auctoritate. Interjecto autem tempore, nonnulli ex plebe per negotia ac mercatarum opibus creverunt, qui altius caput erigere plebemque hortari cœperunt ut optimatum perfringeret ordines, quo sese ipsi insinuarent. Accepit læta motum ardoremque plebecula, natura ad-

versus omnia eminentia male accommodata, longáque servitute fessa, et promptum ei offerebat imperium, si quis ipsam in libertatem vindicaret, collectamque in dominos iram satiaret [1]. Non defuere, etiam inter optimates, qui per ambitionem hoc munus susciperent, seseque studiis popularium ad summam potestatem extollerent. Eadem ætate, eisdem prope annis, quarto scilicet ante Christum natum seculo, Pisistratum Athenæ, Polycratem Samos, Histiæum Miletus, Mausolum Halicarnassus, Naxos Lygdamin tyrannos sensere.

Ille [2], ut sibi e longinquo viam ad tyrannidem occupandam præmuniret, amicitiam cum Atheniensi Pisistrato arctissimam conjunxerat, arcisque per fraudem occupandæ inter auctores fuerat. Quum igitur pulsus iterum a patria iste, ad reparandam potestatem, exercitum undique pretio contraxit, adfuit inter primos Lygdamis cum fideli amicorum manu, plurimumque victoriæ ejus contulit. Cujus officii meritam mox rependit mercedem Pisistratus : cito enim ipsi oblata fuit occasio. Inter eos qui ex plebecula ac paupertate nuper ad amplissimam fortunam evecti, veterum optimatum odium in se converterant, erat Telestagoras quidam. Hic ruri degebat, in prædio suo, Lystadibus dicto [3], relicta in urbe magna sui fama et caritate apud populares. Eo enim fruebatur favore, ut, si quid cons-

(1) Aristot., *Polit.*, V, 5.
(2) Herod., 1, 61.
(3) Aristot., Ναξίων πολιτεία, 2.

picuum in quolibet genere ad macellum deferretur, nulli priusquam illi venale id fieret, resque esset in proverbium versa, quoties pretium minus æquo quispiam promitteret : « Mallem hoc gratis Telestagoræ, quam tibi ea conditione tradere [1]. » Quadam die, juvenes, optimo genere orti, piscem quum emere voluissent, idque quasi proverbium pro responso retulissent, ira vinoque impulsi, ulciscendæ ab intolerabili Telestagoræ auctoritate factionis suæ consilium inierunt. Villam ejus adeunt, comiterque excepti, mensæ hospitali accumbunt, ad pernoctandum etiam invitantur. Nihilominus ipsum verberant, vim uxori et filiæ inferunt, vasaque omnia domumque disjiciunt, ac turbant. Quod ubi in urbe innotuit, furere plebs cœpit et ad arma ruere. Obtulit se tumultui ducem Lygdamis, quanquam ipse ex optimatibus, bellumque intestinum exarsit. Se in prædiis castellisque et urbis arce tutati sunt proceres, donec Pisistratus, cum classe adveniens, victoriam Lygdamis adjuvit, dominumque eum insulæ constituit [2]. Tum ad Delon expiandam profectus, amico ac clienti obsides credidit quos ex optimis Athenarum gentibus, fidei pignora, abstulerat, diligenterque volebat asservari.

Lygdamis eo, quem optaverat, dominatu potitus, eum stabilivit pulsis in exsilium spoliatisque optimatibus. Ædes etiam operaque ab eis cœpta institui, aliis nominibus dedicavit, ne quis ad eos Deorum favor,

(1) Athen., viii, 343.
(2) Herod., I, 64, — Thucyd., III, 104.

ne qua hominum gratia reflueret. Tum ea mente quæ solet tyrannos inter se conjunctos tenere, Polycrati regnum Sami affectanti auxilia misit (1), quorum ope ille, quando Samii sacra Junonis magno concursu ac securitate agerent, arcem invasit, eaque potitus civitatem totam suam fecit. Lygdamis tamen, Pisistrati et Polycratis exemplo, id effecit ut rerum gestarum gloria injustam ac male partam potestatem excusaret (2). Illo enim regnante et agri feliciter culti, et commercia cum omnibus insulis maritimisque Asiæ civitatibus conjuncta. Eo tempore Naxii maris Ægæi imperium, quod antea Samii et Spartani, obtinuerunt. Jam enim Paro et Andro, aptissimis ad res nauticas insulis, potiti, haud ægre, adjuvantibus Samiis (3), ceteras Cycladas in ditionem suam redegerunt, et decem annos Ægæum per mare dominati sunt. Tum inventa apud eos vel in plurimum usum adhibita ea navium species quæ « Ναξιουργὴς κάνθαρος » ab insulæ nomine vocatur. « Id enim navigii genus (4) in Naxo insula fabricatum erat, eoque potissimum Naxii, quo tempore maris imperium obtinuere, utebantur ; navibus vero urbs quæque, cujusque generis inventrix, nomen suum indidit ; ita cantharo nomen Naxio. »

Sed, ut Pisistrati ope summam potestatem adeptus erat Lygdamis, ita, expulsis Pisistrati filiis, Athenis-

(1) POLYEN., *Stratag.*, I, 23, 2.
(2) HEROD,, III, 57, describit Cycladum ea ætate prosperitatem.
(3) DIODOR., VII, 13.
(4) ARISTOPH., *Pax*, 143, *Schol.*

que optimatum factioni restitutis, et ipse corruit. Lacedæmonii enim, qui ereptum sibi maris imperium ægre ferebant, arrepta occasione, ultionem persecuti sunt. Antea enim quam Lygdamis Naxo tantas vires adderet, per Doricas colonias, easdemque portu excellenti instructas, Spartani Cycladas non gravi quidem jugo premebant, at certe plurimum apud eas pollebant. Quos igitur expulerat Lygdamis excepere primum hospitio, tum arma auxiliaque eis præstiterunt, et in patriam tandem restituere suam [1]. Lygdamis quo modo finierit vitam, obscurum. Eisdem fere temporibus amicus ejus Polycrates Oretis, Lydiæ satrapæ, dolo interceptus periit.

Non tamen quod concupiverant consecuti sunt Lacedæmonii, maris scilicet imperium : id enim ad Eretrienses, Eubœæ insulæ incolas, transiit [2], apud quos quindecim annos, priusquam Æginetarum fieret, permansit. Naxos quidem Andron Paronque, ceterasque opes et primum inter Cycladas locum retinuit ; sed novorum maris dominorum auctoritati aliquid debuit concedere. In illis enim Amarousiæ Dianæ festis [3], ubi longo ordine, in honorem Deæ, progrediebatur ad aram trium milliun peditum, sexcentorum equitum, sexaginta curruum pompa, Naxos, ut Teos, Ceos, aliæque insulæ, legatos chorumque juvenum mittebat. Eidem tempori assignanda est lis quæ inter Naxios Pa-

(1) *Schol.* Æschin., II, 77.
(2) Diodor., VII, 13. — Strab., X, p. 448.
(3) Bronstedt., *Céos*, 69.

riosque orta, arbitratu Eretriensium composita fuit. Vicere Parii decimamque partem mulctæ ex adversariis abactæ Apollini Delio consecravere [1]. Quamvis enim subjecta esset Naxo Paros, non ideo serva, nec jure omni suo orba erat, quumque Deliaci fœderis particeps esset, adversus dominos, si quid impotentius imperarent, auxilia in religionibus communibus et in Naxiorum æmulis habebat. Ea fuit Eretriensibus occasio qua eorum potentiam imminuerent, dum subditis jus adversus dominos attribuunt.

Credi potest Lacedæmonios, quum Lygdamin expulere, aliquem Harmostum, sive ex suis, sive ex optimatibus Naxiis, in civitatem redintegratis, constituisse, qui cuncta regeret pacemque et concordiam servaret. Non diu tamen victoriæ suæ fructum tenuere, qui ita opes et auctoritatem recuperaverant, optimates, quosque invidiose et contumeliose plebs « Pingues » appellabat. Brevi enim coorta seditione expulsi, non jam Spartam, sed Miletum confugere 501.

(1) BŒCKH., *C. I. G.*, 2265. Eretriensium tribunal Delon convocatum erat, ibique sententiam suam pronuntiavit. Eponymus Naxiorum magistratus Bacchi sacerdos erat.

II

A MEDICIS BELLIS AD GRÆCIAM A ROMANIS SUBACTAM

Quintum et vicesimum jam annum Asia Minor Magno Persarum Regi obediebat. Græcæ vero coloniæ, quanquam proximo satrapæ annuum tributum pendebant, quamdam retinuerant libertatem, tyrannis indigenis subditæ. Mileti tunc regnabat Histiæus, magni audacisque ingenii vir, multumque Dario gratiosus. Qui tamen illi haud ita confisus, aulam suam pro carcere dederat, honoris specie, neque permiserat urbem patriam ut repeteret. Locum igitur ejus nepos Aristagoras occupabat, qui vix exsules Naxios audiit magnifice de se et patria sua loquentes, imperiumque Cycladum omnium restitutori suo pollicentes, immensa cupidine gloriæ simul et potentiæ flagravit. Satrapam Lydiæ, qui Sardibus habitabat, adiit, ut secum expeditionem ad Naxon occupandam pararet. Tunc quam potens ea esset insula commemoravit, inter ceteras Cycladas florentissima [1], nauticis opibus classibusque instructa, divitiis et servitiis abundantissima, quæ octo millia armatorum in aciem

(1) Herod., V, 28, 30, 31.

producere posset, geminisque insulis Paro et Andro imperaret; hujus adjunctis sibi opibus, satrapam posse omnes Cycladas Persarum regno addere, quarum nulla adhuc in Darii potestate erat. His auditis, Artaphernes consilium Aristagoræ laudavit, consultoque Rege, classem et exercitum instruxit, cui Naxii profugi stipendium victumque ministrare debuerunt. De Naxo actum erat, nisi discordia inter Aristagoram Persarumque ducem, Megabatum, exarsisset. Quum enim in exitu Smyrnæi sinus, ad Caucasam, ventos secundos exspectaret classis, navarchum quemdam nocturnæ stationis negligentem Megabatus horrendum in modum mulctari jussit; clientem vero amicumque, invito ac renuente Persarum duce, supplicio exemit Aristagoras. Ira igitur concitus Megabatus clam hominem misit qui Naxios aliud agentes neque periculi quidquam suspicantes admoneret. In paratos ergo omnique defensione instructos incidit classis. Quatuor menses urbem obsidione cinxerunt Persæ; tandem, deficiente pecunia, deficiente victu, opibus et spe exhausti, castellum in quo exsules collocarent, exstruxere, et in Asiam victi redierunt (500).

Ita servati, sed non longum in tempus Naxii; nempe Aristagoras, quum iram regis Magni, ob acceptam cladem, formidaret, rebellione eam prævertere statuit, totamque Ioniam et plerasque Asiæ Minoris Græcas colonias ad arma concitavit. Eum auxilio adjuvere Athenienses, Eretriensesque. Sardibus incensis bellum incepit, quod inter Orientem Occidentem-

que, non nisi domito ab Alexandro Persarum imperio, duo post secula, desiit. Non potuere Iones totis Darii viribus resistere, victique apud Ephesum [1], a sociis destituti, proditi a Samiis apud Ladam, navalique prælio attriti, deditionem fecerunt. Restabat ut Persæ ultionem simul illati ab Atheniensibus Eretriensibusque belli persequerentur, et imperii sui prolationem. Mardonius, qui primus in Græciam per Macedoniæ et Thraciæ littora immissus fuit, classem tempestate ad montem Athon coorta, exercitum aggressionibus Barbarorum quum amisisset, infecta re Asiam repetivit. Tunc missi legati qui, terrorem regis sui minasque circumferentes, civitatem quamque in Græcia ad voluntariam deditionem compellerent. Male habiti Athenis et Spartæ illi legati, violataque etiam in eis gentium jura ; at audiere proposita tum in continenti Thebani, tum insulares omnes, Eginetæ quidem Atheniensium invidia, ceteri metu impulsi.

Altera adversus Græciam Persarum expeditio, Dati et Artapherni [2] commissa, recta via per Ægæum mare ad Eubœam tetendit. Insula quæque nautas militesque Barbaræ classi dare coacta, fidei obsides. Naxos [3], quum resistere conata esset, expugnata fuit ; urbs funditus eversa, quique homines in montium inaccessas latebras perfugere non potuerunt, catenis vincti, in militiamque abrepti. Delo tantum pepercerunt Bar-

(1) Herod., V, 102; VI, 10, 11, 12, 20, 21.
(2) Herod., VI, 49, 95, 90.
(3) Himerius, II, 19.

bari, Apollinisque templum, ubi aliquam deprehenderunt propriæ religionis imaginem, reveriti, donis etiam cumulavere. Incolas, qui Tenon confugerant, in sedes suas revocatos restituere, integraque omnia reliquerunt. Inde in Eubœam transgressi, Eretriam igni ferroque vastatam solo æquaverunt. Ulti sunt sociorum cladem Athenienses Marathonicis in campis, et turpi fuga duces Persarum, nuper facilibus securisque victoriis elati, mare trajecerunt, a rege suo pœnam socordiæ exspectantes. Insecuta est fugientes Atheniensuim classis (1), quæ insulares ob deditionem Persis factam mulctaret, reciperetque Cycladas. Pleræque conditionibus Miltiadis quum obtemperassent, restitit Paros (2), obsidionemque passa est. Vigesimo die, Atheniensis dux, rebus desperatis, vulneratus, domum rediit, ubi mox pecuniam magnam pendere jussus, condemnatusque apud populum, vitam finivit.

Interea Persæ, ut qui non satis haberent, si imagines victoriarum suarum in parietibus regiarum ædium expressas appenderent, et Naxon ceterasque Cycladas, a mari revulsas, Datin sequentes effingerent (3), Eretriæque incendium et ruinam celebrarent, immensis apparatibus se ad novum bellum accingebant. Undique copias, opes, navesque colligebant. Ipsæ Asiatici lit-

(1) Cornel. Nepos., *Miltiades*.

(2) Herod., VI, 136.

(3) Philostrat., *Vita Apoll.*, I, 75. Dicit Babylone, in regiis ædibus, esse tapeta ubi apparebat ὁ Δάτης τὴν Νάξον ἐκ τῆς θαλάττης ἀποσπῶν, Artaphernes Eretriam, Xerces Græciam domans.

toris insularumque vicinarum Græcæ coloniæ arma classesque tradere coactæ sunt, quibus populares sui opprimerentur. Septem et decem navigia, omnibus rebus hominibusque instructa, cum ducibus suis præstiterunt [1]. Cyclades ipsæ aliquid exercitui Barbaro conferre jussæ, haud gratum imperium ægre exsecutæ sunt ; quum autem recusare non auderent, paravere omnia, ut, si vis ingrueret, necessitati cederent, haberentque quod Persis ministrarent. Ruptum enim erat Persarum vi insularum Ionicarum fœdus, neque jam ullum Naxiis in Parios Andriosque imperium. Singulæ sui juris erant, et in tam incertis rebus gravibusque tempestatibus, suam quæque mentem secuta est. Ceos, ut quæ Atticæ vicinior, ideoque magis tuta, prima ausa est, ab initio belli, pro Græcis stare, navemque unam ad Artemisium mittere. Postea Naxos, idem exemplum imitata, naves quinque, ad auxilium Persarum paratas, Græcis associavit apud Salamina classe conflictaturos. Ceos alteram triremem misit, Kythnos, Seriphos, Siphnos, Melos, Tenos idem fecerunt, ita ut fere omnes maritimæ Græciæ civitates et victoriæ Salaminiæ, et servatæ patriæ laudis participes fuerint.

Herodotus quidem non hanc fuisse dicit Naxiorum virtutem, si a Persis defecerint, sed trierarchi cujusdam Democriti, qui, jussus pro Persis adversus Græcos pugnare, rates suas Themistocli adduxerit, invi-

(1) Herod., VII, 95.

tis insciisque civibus suis (1). Quam rem Plutarchus, inter alia Herodoti, quam incusat, malignitatis (2), argumenta affert. Contendit enim Naxios adeo non invitos Græcorum victoriæ consociatos a Democrito fuisse, ut contra nunquam Persarum jugum admiserint. Quum enim navarchum Artaphernem ducentis navibus se eis inferentem repulissent, Datim quoque, cum toto exercitu minitantem, deturbaverunt, et sex naves Græcis ad tuendam communem libertatem miserunt: hæc vero auctoritate Ephori et Hellanici confirmat, Diodorique (V, 52), qui, quum non credat Naxios primo Persarum impetu submersos non fuisse, ait saltem primos resipuisse, rejectoque jugo, a Barbaris defecisse.

Themistocles disturbatos hostes classe insecutus, belli jure tributa ab insulis exegit. Andros recusavit, geminis freta numinibus, Paupertate et Egestate, Vimque et Persuasionem, Themistocli patrocinantes, rejecit. Rediit igitur Phalerum Attica classis. Nondum tamen omnino liberata erat Græcia. Melior enim Persici exercitus pars, Mardonio duce, Bœotiam Atticamque obtinebat; Athenæ iterum expilatæ, resque omnes in dubio et discrimine manserunt, donec supremo apud Platæas prælio bellum dirimeretur. Aderant et huic pugnæ Naxii, neque obscuras ibi partes habuerunt (3). Nomen ergo eorum et serpentibus quos, in

(1) Herod., VIII, 46.
(2) *De Malignit. Herodot.*, p. 689.
(3) Diodor., V. 52.

modum tripodis, victores Apollini Delphico consecraverunt (1), inscriptum est, et basi Jovis Olympii statuæ, cum Teniorum, Kythniorum Ceorumque nominibus (2). Nullos tamen insularium, in catalogo apud Platæas pugnantium memorat Herodotus. Eane motus invidia erga Naxios, quam incusat Plutarchus, an, ut conjicit Bronstedt (3), gravis armaturæ modo copias emunerans? Insulæ autem nullos hoplitas, sed peltastas tantum, habebant. Tum Naxii, suo ipsorum nomine, Apollini Delio statuam giganteam, in gratiam concessæ sibi ab eo gloriæ, dedicaverunt, cujus basis etiam nunc exstat, cum his verbis : Νάξιοι Ἀπόλλωνι (4).

Igitur prima Medicorum bellorum pars confecta erat, in qua vim Persæ inferebant, repellebant Græci. Jam non ex Asia bellum in Europam, sed ex Europa in Asiam inferri incipit. Eo enim ipso die quo Mardonii exercitus apud Platæas occumbebat, classis Hellenica, duce Xantippo, Ioniæ in littoribus Barbaros, ad Mycalum, debellabat; tum in ipsis Platæarum campis, victores persequendæ ultionis fœdus inter se feriebant, hocque instituebant ut communi impensa quotannis centum naves, decem millia hoplitarum, mille equites, hunc ad finem instruerentur. Conveniebant in hanc alteram societatem non Ioniæ solum, sed Doricæ etiam civitates; nam penes Spartam Hegemonia

(1) Ἐφημερὶς ἀρχαιολογική, p. 42, n° 2759, Athenis. — HERODOT., IX, 81. — PAUSAN., I, 13, 19.
(2) PAUSAN., V, 23.
(3) BRONSTEDT., *Céos*, p, 108.
(4) PH. LEBAS, *Voy. arch. en Grèce*, Insc, des îles, Delos.

erat. Pausanias igitur, cum sociorum classe, insulam Cyprum Persarum jugo liberavit, oppugnavitque Byzantium. Sed superbia intolerabili animos omnium a se alienavit, quos contra patriæ suæ Cimon comitate, Aristides æquitate conciliabant. Hinc Græciæ imperium a Lacedæmoniis ad Athenienses translatum. Iones fere totam classem instruxerant, quum vix rates viginti doricæ essent; ergo ubi viderunt plus auxilii sibi in Atheniensium maritimis opibus quam in Spartanorum pedestribus copiis esse, jam linguæ, originis, morum communitate ad consensum faciendum inter se propensi, rejecta Pausaniæ auctoritate, se Atheniensium ducibus tradidere.

Ergo omnium Ægæi maris insularum Asiaticarumque coloniarum societas facta est (1), cujus sedes, ut et illius prioris, Delos erat. Præter naves copiasque quas præstare quæque debuit, institutum est singulos in annos tributum quadringintorum sexaginta talentorum, inter socios, pro cujusque opibus, partitum (2). Aristides, ut ærarii communis procurator (3), partitionem faciendam suscepit, quæstoresque tributi colligendi electi sunt. Atheniensium hic erat principatus non imperium; ut enim bellicas illi res dirigebant, et præcipua in concilio publico pollebant auctoritate, ita libertatem administrationemque suam civitas quæque privatis in negotiis retinuerat. Latius autem hæc

(1) Thucyd., I, 95, 96, 98.
(2) Diodorus, XI, 47. Dicit tributum 560 talentorum fuisse.
(3) Plutar., *Aristid.*, 39, 41.

societas extendebatur quam prior, utpote quæ, præter Cycladas, Athenas Athenarumque colonias, et Græcas Asiæ Minoris urbes complecteretur. Tum legibus certioribus administrabatur : sua enim erant sociorum cuique obeunda munia, sua perpendenda tributa ; Deliacum vero concilium de communibus rebus decernebat; placita ejus Athenienses exsequebantur. Inde Ionicæ illius societatis exitium : nulla enim publico concilio per se auctoritas, quum nullum in se ipso auxilium haberet, neque exercitum ullum quo edicta sua, vi, si opus esset, tueretur. Omne ab Athenis subsidium exspectabat, ita ut brevi, amissa libertate, nihil aliud factum sit nisi Atheniensibus ducibus dominationis instrumentum. Tandem suppressa est concilii vana illa imago, translatum vero Athenas ærarium, insulaque ipsa Delos Atticis colonis divisa, qui etiam administrandum curandumque Apollinis templum suscepere [1]. Tunc demum, post alteram expiationem, restituta sunt a Nicia antiqua solemnia, primaque quinquennalia ab Atheniensibus sexto Peloponnesiaci belli anno celebrata sunt [2] (426).

Dorienses [3], nihil sibi a rege, propter longinquitatem regionis suæ, timendum rati, ab eo fœdere abstinuerunt, ita Spartanorum partes amplexi ut nollent tamen eos ad recuperandum armis imperium auxilio

(1) Bœckh., *Staatshaushaltung der Athener*, vol. II, p. 78, ch. vii, « Marmor sandwicence. » *De Atheniensi administratione Deliaci Thesauri*. cf. *C. I. G.*, vol, I, p. 252,
(2) Thucyd., III. 104.
(3) Cornel. Nepos., *Pausanias*.

juvare. Itaque, quum a certamine abcesserint, nihil ad eos laudis ex tot tamque claris victoriis pervenit per quas pax illa, Cimonis dicta, paucos post annos parta est. Athenienses autem, per totum id temporis spatium (479-432) quod a Mycalensi prælio ad Peloponnesiacum bellum extenditur, incredibili quadam virtute annisi sunt, sive ut annua decreta Delii concilii exsequerentur, sive ut potestatem suam latius extenderent. Nam et Eionem bello subegere, et Carystios, quum defecissent, castigavere, et, repressis Skyriorum latrociniis, coloniam in eorum insulam misere. Sed quum jam fœderis insulares tæderet, aliique tributum omnino abnuerent, alii peterent ut, collata insuper pecunia, mittendis navibus militibusque liberarentur, ea in Athenienses recidebat cura ut pecuniam, nomine sociorum, per vim exigerent, vel negatas naves militesque suppeditarent; semper tamen oneri tanto sufficiebant. Insularum prima, Naxos violenter se a fœdere distrahere tentavit. Classis igitur Atheniensium urbem statim obsedit (1), victique post longam, ut creditur, defensionem Naxii, navibus privati, excisisque mœnibus et castellis, ex sociis in subjectorum conditionem redacti sunt. Neque tamen amplius eis tributum, etiam quum sociorum nonnulli duplex aut triplex penderent, imperatum videtur. Nomen quippe Naxiæ civitatis quater in tabulis tributorum reperitur; eaque variis temporibus, vel tredecim talenta et duo millia drach-

(1) Thucyd., I, 98.

marum, vel quindecim sedecimve talenta, pendere jubetur, quum Parii, quos verisimile est minus opulentos fuisse, triginta talenta conferre debuerint. Quo tempore Naxos obsidebatur [1], navis, qua vehebatur in Asiam proscriptus Themistocles, in portum delata est. Quum autem, coorta atroci tempestate, anchoras jaci, donec mare sedaretur, rector navis imperasset, Themistocles nautis, quis esset, aperuit et quantum sibi periculi ab Atheniensibus immineret si adesse se intelligerent, vicitque ut iter perficeretur. Rex eum virum, a quo superatus erat, majori animo excepit quam expulerant Græci; tutum enim ei apud se hospitium reditusque urbium haud mediocres constituit.

Ergo in Naxo reliquis insulis quasi prænuntium editum fuit signum quam sortem ipsis Atheniensium ambitio præpararet. Brevi enim Delius thesaurus in urbem, auctoribus Samiis, devectus est : ceteris civitatibus, olim sociis, jugum impositum, missisque in omnes partes coloniis servitus devictarum gentium confirmata [2]. Inducti primum apud Naxios quingenti coloni, dein mille alii, duce Tolmida [3], secundo anno (430) Peloponnesiaci belli. Coacti etiam subjectarum urbium homines suas lites Athenas deferre, ubi apud publica tribunalia, habita prius in ipsis locis quæs-

(1) Thucyd., I, 137. — Themistoclis *Litteræ*, quas genuinas esse contendit, forsan haud immerito, *Koutorga*.

(2) Plutar., *Pericles.*, 11. Misit in Chersoneson 1000 colonos; in Naxon, 500; in Andron, 250. Anno 444 a. J. C.

(3) Pausan., I, 27, 5. — Diodorus, XI, 88. — Aristoph., *Vespes*, 355.

tione, judicarentur [1]. Ita adempta insularibus omnia libertatis jura, qui nihil fere aliud quam villici reipublicæ facti sunt, quum pro eis Atheniensis Archon negotia ipsorum curaret, eadem qua postea Romanus proconsul, potestate [2]. In iis autem civitatibus quæ etiam tum sociæ vocabantur, Athenienses factionem instituerant alebantque, per quam acceptissimus ipsis rerum status, id est imperium populare, continuaretur. Urbes autem subjectæ innumeris negotiis Athenis quasi alligabantur, quum mercatores, quæcumque apud remotissimas gentes nascerentur, in Piræum deferrent. Erant etiam in singulis partibus imperii prædia quæ cives Athenienses, vel manentes domi, administrabant [3]. Nam agrorum spatia quædam in uberrimis regionibus emerant, per procuratores villicosque colenda; ita ut nonnulli Atheniensium agros in insula Naxo possiderent, quos identidem, tum inspiciendi operis, tum reditus percipiendi gratia, invisebant. Æstate enim in frigidas insulæ valliculas concedentes, rusticæ vitæ otiis laborem urbanæ luxuriæ mutabant.

Ingens igitur Atheniensibus imperium, sed minus firmatum. Nam conversum paulatim in regiam quasi dominationem sponte susceptum fœdus ægerrime

(1) Thucyd., viii, 48. — Isocr., *Paneg. Athen.*, 114.

(2) Bœckh., *Op. cit.*, I, ch. iii, 16.

(3) Antiph., I, 16. Quum Atheniensis quidam Naxon, in prædia sua profecturus esset, veneno interceptus est (is autem oratoris erat pater). — Platon., *Euthyph.*, 4. Eutyphronis pater prædia in Naxo possidebat, per villicum administrata.

omnes subjecti populi ferebant, quorum ira impotenti reipublicæ imperio alebatur, ipso magnitudinis ejus et illorum festorum spectaculo incensa, in quæ thesauri communis pecunia profundebatur. Itaque Byzantium, Samosque, quum rebellavissent, compressæ quidem, sed non sine impensa aut sanguine, et atrociore eorum pœna animi altius etiam irritati, ut si quid minus prospere Athenis accidisset, eruptura omnia odia viderentur. Firmissimum Atheniensibus dominationis suæ subsidium erat in perpetua locupletes inter et pauperes discordia, et in plebis dominatione. Ubi vero bellum Peloponnesiacum accensum est, optimates, ut qui Lacedæmoniorum auxilium jam sperarent (1), res turbare cœperunt, adductique in periculum et in eam necessitatem Athenienses ut terrore et novis coloniis potestatem suam confirmarent, efficerentque ut Naxos, Andros, Ceos, Tenos, receptis iterum ex Attica colonis, totæ jam suæ fierent, urbisque fortunam deinceps sequerentur. Quæ vincula pax, quæ Niciæ dicitur (421), etiam arctiora fecit (2), exterritis crudelissima Meliorum pœna (3) insulis quæ jugum excutere cupivissent. Imperata dehinc in tributum, non jam sexcenta, sed ducenta et mille talenta, quæ pecunia infelicissimo Siciliæ bello consumpta est.

(1) Thucyd., II, 57. De Corcyreis factionibus.

(1) Andocid., III, 9, ab Æschin., II, 125, citatus, quum pacem Atheniensibus suaderet, enumerat quanta ex Niciæ pace commoda: 7,000 talenta, 300 naves, 1,200 talenta renditus, Chersoneson, Naxon, duas Eubœæ partes, aliasque insulas.

(2) Thucyd., v, 89. Meliorum pœna.

Simul autem ac vicisse Syracusanos pernotuit (413), omnes undique civitates [1], Chios in primis, Samosque et Asiaticæ urbes jugum excutiunt; parantibusque eadem Cycladibus, imperium ex ea parte Athenienses, non sine vi summa, retinent. Auctis portoriis, tributa vectigalium supplentur [2]; centum et quatuor naves instruuntur, quæ, urgente ipsis in faucibus Atticæ hostili apud Deceliam præsidio, Lesbon recipiunt, et Spartanorum Persarumque classes, prope Samon continent. Alcibiadis (409) tamen reditu revocari visa ad partes Atheniensium victoria, quum jam harmostes Lacedæmonius Andron occupasset, ceterasque Cycladas lacesseret. Brevi autem Lyzandri peritia subsidiisque Cyri Junioris bellum consummatum est, captis apud Ægos Potamon universis Atheniensium navibus, Piræoque tandem et ipsa urbe in potestatem hostium redactis (404).

Tum vero liberis jam urbibus, populare imperium, Atheniensium auxilio diu sustentatum, sublatum est, et ad optimates, qui semper pro Lacedæmone steterant, potentia concessit [3]. Lysander autem, quo plures sibi conciliaret, recentibus sociis suis pollicitus libertatem, promissa ita exsecutus ést, ut urbes, quum se jam omni dominatione solutas arbitrarentur, dominos tantum se mutasse intelligerent. Nam apud singulas præfectus Lacedæmonius, constitutis in consilium de-

(1) Thucyd., v, vi, vii.
(2) Thucyd., viii, 1, 9, 14.
(3) Xenoph., *Hellenica*, II, 3. — Diodor., V, 14.

cem ex amplissimis civibus, rerum potitus est [1], cujus impotentissima auctoritas, imposito in arce præsidio, confirmata est. Jungi tamen fœdere Cyclades rursus potuerunt, sed quod in speciem foret, neque illis vires eas daret unde metus aliquis victoribus oriretur. Pacatum paulisper Ægæum mare [2], non liberatum ; neque commiserunt Lacedæmonii ut tributum, quod constituerant Athenienses, urbibus remitterent : quippe, tanquam auxilii sui pretium, mille talenta a sociis exegerunt, præter eas pecunias quæ a præfectis privatim extorquebantur. Tunc meminisse fuit acerbissimæ illius Atheniensium ad Melios orationis, « ita scilicet a natura constitutum ut infirmissimus quisque validiori obediret, mutaretque fortasse dominum, jugum autem excuteret nunquam. »

Quamquam vel eo tempore non omnino fracta vis Atheniensium ; nam brevi tyrannos a Lysandro impositos quum expulissent, statim imperium Græciæ totius rursus affectaverunt. Ne tamen fortunæ mutationes eo tempore plus æquo miremur, Persæ discordia metuendorum quondam hostium usi, auro et stipendiis ad arbitrium suum victoriam in alterutros inclinabant. Itaque, vix octavo post tantam cladem anno, eædem Atheniensium vires, quæ prius, exstitere. Eorum dux Conon, accepta a Persis classe, Peloponnesiorum in mari Ægæo imperium, Cnidia [3] victoria, fregit (394);

(1) Xenoph., *Anab.*, I, 2. Clearchus Byzantii harmostes.
(2) Diodor., xiv, 12.
(3) Diodor., xiv, 84. — Démosth., *In Leptin.*, 68-70.

harmostas expulit, lætisque Cycladum urbibus ut libertatis auctor ac restitutor apparuit. Ea quidem vera libertas fuit. Nam edocti malis Athenienses, socios primum benigne et vere socialiter habuerunt, quum præsertim vires ad dominandum deessent, neque aliter fieri Conon, pro sua sapientia, passus esset. Sed plura exsequi Antalcidæ pace prohibiti sunt (386). Lacedæmonii Græcas Asiæ civitates parum honeste Regi permiserunt, idque sanxerunt ut nullum amplius esset fœdus, suisque legibus civitas quæque libera regeretur. Ita, spoliatis æmulis, pristinam ipsi potentiam retinuere, et classe per Ægæum mare circumacta, optimatum partes rursus erexere et harmostas suos restituerunt.

Ubi vero Græcia omnis, quum servitii pertæsum esset, provocantibus Thebanis (378), adversus Lacedæmonios surrexit, rursus Deliacum fœdus instituere Athenienses tentaverunt. Missi Timotheus, Cononis filius, Callistratus orator, ducesque Chabrias et Iphicrates, qui maritimas omnes urbes invitarent ut secum societatem jungerent, quæ communem libertatem tutaretur. Eas autem conditiones præferebant ne rursus ingruere posset prior dominatio; nihil nisi ex sententia concilii communis imperatum iri, quod de communibus negotiis, deque criminibus proditionis cognosceret; nulla autem fore deinceps tributa, sed urbes pecuniam, quantumcumque vellent, sponte collaturas. Hoc statim acceptum, parsque Cycladum magna, Eubœa, Chios, Samos, urbes in Ponto et Thracia

sitæ, jusjurandum præstiterunt, legatosque Athenas miserunt. Tale exemplum non secuta videtur Naxos, tuentibus forte Spartanorum partes optimatibus. Legimus enim Chabriam paulo post (375) subigendam insulam suscepisse. Qui, quum naves commeatibus onustas ab impetu Pollidis, qui dux erat hostium, defendisset, Naxon acriori urgere obsidione cœpit; Pollis contra, sexaginta et quatuor navibus, eam tutatus est, commissumque ibi prælium (1). Chabrias, quamvis naves tres et octoginta haberet, artificio insuper usus quo certius vinceret. Nam incipiente pugna, navibus suis signa detraxit, ita ut Spartani, si qua ad eos triremis pergeret, utrius esset partis nescii, cunctarentur, nec statim incurrerent, Athenienses vero ea mora uterentur. Vicit tamen dextro cornu, ubi imperabat, Pollis, navesque hostium decem et octo demersit ; sed alterum cornu Chabrias fudit, fractis quatuor et viginti navibus, octo captis, ceteris fuga dilapsis. Victoria autem minime usus, sauciis recipiendis mortuisque ad sepulturam colligendis operam dedit, victorum ad Arginusas ducum exemplo monitus. Inde spoliis oneratam classem in Piræum reduxit, coronaque aurea donatus est. Illius igitur victoriæ (quamquam Naxii a Spartanis non defecere, nec recepta insula fuit) quam Athenienses primam a tempore

(1) DEMOSTH., *In Aristocr.*, 198 (p. 686); *De Ordin. republ.*, 22 (p. 172). — DINARCH., I, 75. — ÆSCHIN., III, 222, 243. — DIODOR., XV, 34, 35.— POLYÆN., *Stratag.*, III, 21. — PLUTARCH., *Phocion*, 19; *De Gloria Athenar.*, 7. — BŒCKH, *C. I. G.*, vol. I, p. 123, et 186, nº 84.

Peloponnesiaci belli navali prælio retulerant, ingens fama fuit, civitatesque septemdecim, præter priores, in fœdûs adscribi voluere. Reliquum inter Thebanos et Lacedæmonios bellum Peloponnesi et Ionii maris fines fere non excessit; nec Cycladum quies turbata fuit ea classe quam Epaminondas, in Pontum Euxinum missam (364), re infecta domum reduxit. Alteram etiam classem, quam in Ægæum mare Alexander, Pherarum tyrannus, Thebanorum auxilio ire jussit, quum Tenon vastasset, obsideretque Peparethon, Athenienses depulere (361). Mox, exstinctis Epaminonda et Pelopida, fracta Thebarum potentia.

Interea Athenienses, prospero rerum cursu elati, ad pristinam imperandi impotentiam reciderant magnamque in se conflarant invidiam; ita ut, quum totis viribus indigerent adversus crescentes Philippi Macedonumque vires, jam bello Sociali Con, Chion, Rhodonque amisissent. Ille autem, comparatis ex Thracia ac Thessalia navibus, piraticam exercere cœpit [1], qua et Atheniensibus merces hinc inde portantibus noceret, et multam sibi ipse faceret pecuniam [2]. Simul apud insulam quamque Ægæi maris factiones suscitabat, consiliorumque suorum fautores. Ut Athenis Æschines et Demades, in Eubœa, Plutarchus, Clitarchus et Philistratus, in Thaso Aristobulus, ita in Naxo Aristratus Macedonicas partes tuebatur [3]. Mox, sive per

(1) Diodor., xvi, 8.
(2) Demosth., *Olynth.*, II; *Philipp.*, I, 46, a piratica dicit Philippum plurimas opes habuisse.
(3) Demosth., *Pro Corona*, 197.

eos quos adjuvabat, singulis in civitatibus, tyrannos, sive per oratores venales, sive per vim, totius maris imperium adeptus, insularum commune concilium sustulit, atque omni societatis antiquæ et libertatis specie evanescente, nihil jam aliud Cycladum nomen fuit quam verbum quo maritima illa Græcæ gentis possessio, designaretur.

Macedonum dominatio, quæ morte Philippi infringi aliquantisper visa, brevi restituta est, universaque Græcia, si Lacedæmonios excipias, Alexandrum in Asiam secuta est. Memnon Rhodius (1), quum frustra Regi ea consilia aperuisset, quibus impetus juvenis ab initio concidisset, in ipso tempore agendi moritur. Classis illa, qua bellum in Europam inferre parabat, spoliatis insulis, et accepta apud Siphnon clade, dissolvitur, et ante tres annos a Persis transfertur ad Græcos Asiæ imperium. Interit autem ipse Alexander, priusquam prodigia illa, quæ Babylone destinaverat, exsequeretur, et de relictis in hereditatem ab eo regnis inter duces et propinquos ejus bellum renovatur.

Cycladas, cum reliqua Græcia, Antipater primo obtinuit (325-319); eo autem mortuo, Lagidarum factæ sunt, ultro concedente illis Cassandro, filio Antipatri, dummodo ambitioni suæ faverent, et ipsum in locum patris irrepere conantem adjuvarent. Aliquantisper ablatas (309-301) sibi a Demetrio Poliorcete, rursus

(1) Arrian., II, 2.

reges Ægypti postquam ad Ipsum pugnatum est, recepere et per annos quinquaginta retinuerunt. Mitis eorum dominatio, et potius imperii nomen quam verum imperium. Aliquot tamen in inscriptionibus exstant eorum administrationis vestigia. Nam eis aræ, signa dicantur ; et, inter alias usitatas apud Orientis populos cærimonias, Serapidis cultus Græcis numinibus adsciscitur. Eo enim tempore cœpit illa religionum externarum contagio, qua paulatim quidem, sed penitus immutata prisca Græcorum et Romanorum religio est, priusquam Christianæ fidei victa cederet (1). Transiit deinde ad Macedonum reges (222) illud sive imperium, sive arbitrium in Cycladas. Segnius autem ab eis protectæ sunt, quam ut, ad finem circiter seculi ante Christum natum tertii, Illyriorum Ætolorumque incursionibus obnoxiæ non fuerint, qui ex Adriatico in Ægæum mare prædantes progrediebantur. Ii quidem a Romanis ostia Listi fluminis non excedere, fœdere icto, coacti sunt ; sed nulla ejus rei Demetrio Phario (2) cura fuit ; quippe qui, obsidente Saguntum Annibale, cum Philippo, rege Macedonum inierit societatem, Zacynthumque et Cycladas (216) classe vasteverit. Eodem regressus (3), anno sequenti, cum Ætolis, quos socios sibi adsciverat, pecunias

(1) Diodor., xx, 37, 100. — Theocrit., xvi, 88. — Bœckh., *C. I. G., Inscr. Deliac.*, 2273, 2334, 2267, 2268, 2269. — Champoll-Figeac, *Annales des Lagides*, 328-360.

(2) Polyb., iii, 16.

(3) Polyb., iv, 16, 19.

ab insularibus exegit, prædasque rapuit donec a Rhodiis esset depulsus. Ceterum, ubi ad partitionem prædæ ventum est, ortæ inter socios contentiones, Demetriusque partes Philippi cum Illyriis amplexus est. Ardebat autem tunc temporis Sociale Bellum, in quo Macedones vires suas, quas reparare et augere adversus provocatos a se Romanos debebant, in recuperanda Græcorum dominatione exhauserunt. Neque mora pœnæ longa fuit; nam Romani, Annibalis metu liberati, Philippum subito aggressi sunt (198). Eorum socii, Rhodii scilicet Pergamique rex Attalus, dum eis opem laturi adveniunt, in transitu Cycladas occupavere, quarum duæ tantum, Andros Parosque paululum restiterunt. Inde Philippus, ut deficientes ulcisceretur, Dicæarchum Ætolum, præfectum classi suæ, omnes Ægei maris insulas populari jussit [1].

Romanorum victoria redditæ sibi Cyclades, durante adhuc societate, sed quam senatus non pertimesceret. Nam uni rei vacabat, ut scilicet impensa communi coronæ statuæque seu magistratibus, seu adjutoribus suis decernerentur [2]. Is rerum status fuit donec Romani, nullo jam insularium respectu, fœdus eorum

(1) Polyb., xviii, 37. — Ross, *Inscr. inedit.*, fasc. II, p. 54, epistola Philippi ad Nisyreos, 2° anno Olymp. cxlv. — Schorn., *Geschicht. von Griechenland*, p. 215.

(2) V. Teniam inscriptionem ubi τὸ κοινὸν τῶν νησιωτῶν coronam Timoni decernit, Nymphodori Syracusani filio, *C. I. G.*, 2334, οἱ νησιῶται statuam Agathostratis Apollini consecrant (Delos); 2273, οἱ νησιῶται honores vel Ptolemæis vel privatis civibus decernunt.

omnino dissolvere, Delonque Atheniensibus dono dedere (167) [1]. Annis postea viginti Græcia universa, sublata penitus libertate, sub titulo Achaiæ, inter provincias Romani imperii redacta est (146) [2].

III

A ROMANORUM DOMINATIONE AD ANNUM POST CHRISTUM NATUM 1204

Senatus Romanus, qui hostes dividere ad imperandum jam pridem habebat in usu, non idem insulis omnibus jugum imposuit; sed aliis, societatis nomine, aliqua municipiorum jura permisit, alias plane subjectarum conditione habuit, ceteras, ut Tenon Delonque, Atheniensibus tradidit. Intestinis vero discordiis externisque bellis magis distracta est respublica, quam ut refovendis reficiendisque insulis vacare posset, easque, præterquam quod milites et pecuniam imperebat, omnino neglexit. Itaque transeuntibus in Græciam Mithridatis ducibus (89), obstitit in Ægæo mari nemo; unaque omnium Delos, ab Atheniensibus deficiens, quum barbaros continere tentavisset, cæde et vastatione pœnas virtutis dedit [3]. Ejus opes nunquam

(1) Secundo anno 153 Olympiadis.
(2) POLYB., XXX, 18; XXXII, 17.
(3) APPIAN., *Bell. Mithrid.*, 28. — FLOR., III, 5. — PLUT., *Sylla*.

ex eo tempore reparatæ, inscriptaque, in supplementum contumeliæ, monumentis ejus nomina et laudes crudelissimi victoris [1]. Regem vero, quum tres annos dominatus in insulas esset, tandem in Asiam Sylla, imposita turpi pace, repulit. Relapsæ in ditionem Romanam Cyclades, ne tum quidem frui quiete potuerunt; nam, lacerantibus Italiam bellis civilibus, piratæ per annos triginta mare expilavere, neque cohiberi nisi a Pompeio potuerunt (68), qui, dictatoria potestate per totum maris littorumque spatium ornatus, Mediterraneum in certas partes divisit, quarum unaquæque uni legatorum permissa. Obtigit autem Ægæum Terentio Varroni [2], deletisque ad unum piratis, mari pax reddita est.

Sed jam resumenda fuerant insularibus arma, Cæsar enim Rubiconem (49) trajecerat, Pompeiusque, relicta Italia, ad tuendas leges senatumque quidquid foret in Græcia et in Oriente virium convocaverat. Undique igitur auxilia, pro virili parte, ab Athenis, Corcyra, Cycladibus, Ægypto, Asia, Syriaque missa [3], et classis ingens coacta est, per quam mediam quum Cæsar transiisset, appulissetque Dyrrachium, ad Pharsalum una pugna debellavit. Fugam Pompeii classis secuta erat, adhuc integra, sed superante fortuna Cæsaris, Pompeius jussu hospitis sui, Ptolemæi, trucidatur; inde quicumque libertatem occidentem defendere, aut arma

(1) Bœckh., *C. I. G.*, *Delos*.
(2) Florus, III, 6.
(3) Cæsar., *Bell. civil.*, III, 3.

abjiciunt, aut dominationem voluntaria morte prævertunt. Cæsarem vero, brevi necatum a conjuratis, legatus proneposque ideo ulciscuntur ut in ejus locum succedant. Victor apud Philippos Antonius, triumphali apparatu in Orientem rediens, urbes suis et regna divisit; sic Rhodii Tenon Naxonque obtinent, et Andron insuper, quæ quum prius Atheniensium esset, dono Æginæ insulæ compensatur. Rhodii autem, quum recens parta diu servaturos se non magnopere confiderent, eis raptim uti festinavere (42-58), seque tam violentos ac rapaces gessere (1), ut eis insulas ipse Antonius, licet haud religiosus æqui observator, ademerit. Igitur, quanquam tres tantum aut quatuor annos Naxo potiti sunt (2), tamen supremæ ejus insulæ opes exstinctæ. Nihilominus tamen altaria dominis suis dicavere Naxii, utpote qui, jam Orientis gentibus simillimi facti, unum idemque regum ac Deorum fastigium arbitrarentur. Templum igitur Deæ Romæ quum jam sine dubio, ut ceteræ civitates, erexissent, ejus in fronte nomen tantum, ad breve tempus, mutandum fuit, ut Deæ Rhodi proprium id fieret.

Hanc supremam rerum mutationem Naxii pertulere; nam in potestatem Romanorum recidere, donec imperium occubuit. Novam administrandæ reipublicæ for-

(1) Appian., *Bell. civ.*, v, 7; iv, 65. — Plutarch., *Brutus*, 32.

(2) Vide infra (*Append.*, no 7), inscriptionem Naxi repertam, de Rhodiorum in insula dominatione. Tunc Naxi erat eponymus magistratus Demiurgus, cui addebantur Rhodi Deæ sacerdos et thesauri publici quæstor. Ex hac inscriptione apparet Naxon quatuor tantum annos sub Rhodiis fuisse.

mam instituerat (a. 31 ant. J. C.) Augustus, quæ Principatus vocata est. Principes autem, etsi Romæ optimates atrocius insectati tantam Tacito indignationem movere, tamen provincias pace prospera per trecentos fere annos recreaverunt ; idque vel invitis confitendum est, sub eorum imperio, quos jure posteri tanquam portenta scelerum omnium exsecrantur, respirasse tum primum a continuis cladibus orbem terrarum. Nunquam enim antea tam felix Cycladibus quies. Ne libertatem quidem desiderare poterant, eam vix antea expertæ. Quot enim horas juris sui fuerant, ex quo Persæ bellum Europæ intulerant ? Quam facile eis tolerandæ videbantur præfecti cujuslibet rapinæ, cujus etiam avaritia severius invidia Cæsarum frenabatur, si quando illas vastationes meminissent quibus semper obnoxiæ jacuerant, quum tot ambitiosis latronibus regnum per earum calamitates quæreretur ! Mœstæ quidem illustres interdum viros excipiebant, in longinquum exsilium impotentia domini pulsos [1], patricium scilicet quemdam, aut litteratum, aut vitæ sanctioris hominem, aut linguæ procacioris philosophum ; quod regnante Tiberio (11-37), Caio (37-41), Nerone (54-63), Domitiano (81-96), non semel accidit : sed eum sibi rerum statum obtigisse lætæ mirabantur, quo alienis malis, non suis, indolerent. Nero præsertim inique relegatis hominibus Cycladas implevit, quorum nonnulli Naxon appulere. Silanus, inter ce-

(1) Juven., I, 73, brevibus Gyaris. — Tacit., *Ann.*; xv, 71. Ægæi maris insulæ exsulatis permittuntur.

teros (1), ibi mortem exspectare jussus erat, sed ministris sceleris longus itineris visus labor, jugulatusque ad Ostiam est.

Eo fere tempore Christiana religio creditur Naxon advecta (2), quum sanctus Johannes, Pathmi exsulans, unum e discipulis suis fidem novam in eam insulam, cujus prospiciebat excelsos montes, laturum misisset. Quamobrem ejus memoria summo apud incolas in honore est, multæque ecclesiæ, multa monasteria nomen ejus præ se ferunt. Quoniam autem procul Roma, procul etiam provincialis præfecti sede distabant Naxii, primis temporibus mediocriter tantum vexati sunt, neque ullius apud eos martyris aut fidei confessoris nomen ad nos pervenit.

Post auream illam sub Antoninis ætatem (96-193), tot procellas, quibus totus orbis commotus est, Naxos nunquam obsistendo toleravit, earum fortunæ mutationum, quibus alii super alios imperatores regno dejiciebantur, sane incuriosa. Sed tum securiorem piratis crediderim fuisse prædandi licentiam, quum nulla jam publica vis foret, neque ullum a Cæsaribus Romaque exspectari posset subsidium. Itaque, ut a ditione barbarorum per ipsum situm et maris interjecto spatio tutæ fuerunt, sic quasi propositus omnium incursionibus campus patuere; sævitiæque hominum terræ motus, fames, pestes adjunctæ sunt, ut nihil

(1) Tacit., *Ann.*, xvi, 9. Silanus, tanquam Naxum deveheretur, Ostiam amotus.

(2) Lichtle, *Naxi descr*.

earum historiam conscribenti, præter eas calamitates, per mille et quingentos annos obversetur.

Quo tempore imperium in duas partes divisum est, Cyclades, tanquam pars aliqua Græciæ, ad Orientis imperium accessere. Eas deinde Constantinus (337) Constantio, filio suo, dedit; postea Constans (340), ubi præfectos creavit, qui rerum oneri secum succederent, eas Constantinopolitano præfecto parere jussit. Contentione autem, quæ inter Orthodoxos Arianosque orta est, etiam insulæ commotæ sunt; missi Naxon exsules ab Arianis imperatoribus, inque vicem (378) Arianus quidam a Modesto, Constantinopoleos præfecto [1]. Id autem Eunomio objectabatur, quod Procopio, adversus Valentem imperatorem rebellanti, hospitium præbuisset. Ejus viri auctoritate fortasse hæreticorum in insula partes auctæ forent, nisi in aulam esset brevi revocatus. Itaque, sublatis quæ jam oriebantur discordiis, pacem ecclesia retinuit.

Duobus ante annis fieri inceperant barbarorum in Ægæum mare incursiones (376). Gothi enim, quibus in septentrionali ora Caspii maris sedes, per Propontidem et Ægæum irruptione facta, prædam ingentem abstulere. Quum vero exiguos piratarum lembos disjicere classis imperatoria facile potuisset, tanta erat perturbatio rerum ut, ingruentibus undique periculis, trepidarent corruentis imperii rectores, neque satis invenirent qua ratione tot hostibus resisteretur. Mox

(1) Ammian. Marcell., xxvi, 8. — Zozim., iv. — Themist., iv.

Gensericus (460), ubi Italiæ Hispaniæque littora vastationibus exhausit, per litteras etiam ab imperatore Leone I (456-474) lacessitus, irridendam ejus in Africam expeditionem, facta in Cycladas irruptione, ultus est [1]. Cujus rei graves quidem pœnas exegit postea Justinianus I (527-565), exciso Vandalorum imperio (534); sed brevis ea gloria fuit, neque tot Belisarii victoriis intestinæ discordiæ, neque quotidiana in circo certamina, neque morum dissolutio minuebantur.

Pax etiam apud Christianos nulla : vix enim Ariani consenuerant, quum Pelagius oritur, inde Nestorius et Eutyches. Quorum doctrinæ, etsi ab œcumenicis conciliis apud Chalcedonem, Constantinopolim et Ephesum damnatæ sunt, tamen haud incruenta orthodoxorum victoria fuit. Iis conciliis episcopi Naxiorum interfuere, maximoque ab origine studio partes Ecclesiæ Romanæ amplexi sunt. Quum enim Agapetus (536) sacerdotem quemdam, Eutychis fautorem, imperatorisque præsidio adjutum, admittere sacris procurandis abnuisset, petiissetque ut, convocato Constantinopolim œcumenico concilio, res religionis componerentur, Paulus, episcopus Naxi, Papæ rogationi subscripsit; item et Theodorus, Pari episcopus [2]. Convocato autem concilio (553), uterque pro Tribus Capitulis stetit, quamvis recens Papa, Virgilius, persecutione Justiniani fati-

(1) Priscus, p. 74. — Procop., I, 6.

(2) Zonaras, II, 70, 73. — Procop., III, 16. — Niceph. Cpolitan., XVII.

gatus, tandem condemnari eos passus esset. Hinc ortum schisma, quod Aquileiæ vocatur, et manifestum per centum et quinquaginta annos Orientis Occidentisque discidium.

Vexati dehinc propter Monothelitarum hæresim multi, inter quos præcipuum locum obtinuit Martinus I (653-655). Libros enim de Theologia scribere Bysantini imperatores non dubitabant, et quamvis in pessimum exemplum Zenonis (474-491) *Henoticon*, *Ecthesis*que Heraclii (610-641) cessissent, *Typum* Constans II (610-668) composuit, quem toti Ecclesiæ quasi veræ fidei codicem indixit. Obsistentibus vero in Occidente sacerdotibus, versus in iram, Romæ recens electum Papam, Martinum corripi jussit et Constantinopolim, quam maxime longo et aspero itinere, perduci [1]. Itaque, postquam plurimos menses navigaverat, labore, morbo, inedia acerbissime vexatus pontifex tandem Naxon pervenit, ubi primum in terram exire licuit. Quum vero ad crepidinem portus appulisset, in urbem perducto, plures horas in sacello sancti Mimantis exspectandum fuit, dum pararetur domus. Tandem urbem intravit, in qua annum integrum permansit, male quidem a custodibus habitus, suorum autem pietate recreatus (653). Devectus inde Constantinopolim, postquam omnibus ærumnis excruciatus et ad exsilium cum comitibus damnatus est, relegatus in Tauricam Chersoneson,

(1) ZONARAS, vol. II, 87, 88. — THEOPHYL., p. 275, ed. Bonn.

anno sequente interiit, quum jam in locum ejus Eugenius successisset.

Quum autem Leon Isauricus imagines sacras edicto proscripsisset, exarsit civile bellum, indignante toto sacerdotum grege; cædes Bysantii complures factæ; ira autem insularium præcipua (1), eo usque ut rebellarent armarentque naves. Ejus seditionis duces, Stephanus et Agallianus, senem quemdam, nomine Comum, purpura decoravere, Bosphorique aditum (727) classe adorti, facile vi Græci ignis a Leone superati sunt. Comus amboque duces interfecti; insulæ se servitio reddidere, easque, præterquam quod callide ignovit imperator, ipsa longinquitas tutata est.

Ceterum prosciptæ Byzantii imagines in portubus Ægæarum insularum exceptæ sunt (2). Nam, quum multi fidelium reliquias Sanctorum imaginesque sacras servare, spreto imperatoris edicto, nollent, comburendas vero tradere recusarent, eas Propontidis undis commisere, unde, ventis actæ, in remotissimas insulas delatæ sunt, Naxonque præcipue, tanquam novam sedem, elegere. Igitur migrantia sacra Naxii accuratissime collecta partim in sacellis locaverunt, partim operuerunt terra, unde, integro nitore, postea eruta sunt et, simplicissimæ gentis pietati reddita, etiam nunc operari miracula dicuntur.

Sed, præter intestina certamina, calamitatibus continuis imperium distrahebatur. Pestilentia enim, intra

(1) Niceph. Cpolit., I, 65.
(2) Lichtle, *Naxi desc.*

tres annos (763-766), quarta parte Calabriam, Græciam et Cycladas incolentium absumpta, Constantinopolim usque pervasit[1]; sævissimam hiemen (764) fames atrox secuta est. Simul Danubii ripas Bulgari oppugnabant, Musulmanique, jam Oriente, Africa, Hispania domitis, ipsum imperii caput urgebant. Tum a septentrione iteratæ barbarorum incursiones [2], Cycladesque (769) eorum navibus vastatæ. Vix autem dilapsis Esclavonibus [3], alii piratæ subeunt, ab Occidente profecti; Mauri enim, qui Africam et Hispaniam obtinebant, subacta Sicilia [4], imperium Byzantinum aggrediuntur. Abouhassan (823) [5] Cycladas Cretamque populatur ; ibique anno sequente, Candia urbe ædificata, considet [6]. Missis adversus eum Photino Damianoque, res male cessere [7]; iterato bello, parun quoque prosperus eventus fuit, decepto duce cæsisque copiis [8]. Fracti igitur Græcorum animi, atque, ut tertius exercitus cogeretur, quadraginta nummis aureis emendus unusquisque viritim miles fuit. His conditionibus, Oryphas classem instruxit, Musulmanaque præsidia et piratas Cycladibus expulit, non ausus tamen Cretam oppugnare, quam barbari retinuerunt.

(1) Theophyl., p. 365, 366. — Niceph. Cpolit., II, 43, 44. — Zonaras, t. II. 109, 110.
(2) Sub Constantino IV, Copronymo, 741-775.
(3) Sub Leone IV, Khazare, 775-788.
(4) Sub Constantino V, Porphyrogenito, 780-797.
(5) Sub Michaele II, Balbo, 820-829.
(6) Zonaras, vol. II, p. 139, 140.
(7) Theophyl. *Contin.*, iv, 34; v, 60.
(8) Constant. Porphyr., *De Administ. imp.*, 22.

Ex eo Sarraceni continuis irruptionibus maria proxima infestavere [1], neque ulla quies Cycladibus data fuit. Accepta enim clade, aucti numero rursus ingruebant barbari. Nullæ jam supererant Byzantino imperio vires, et suæ sorti civitas quæque tradita, si nihil in se ipsa præsidii haberet, hostium piratarumque præda fiebat obnoxia. Per plus quam centum annos (842-960) Sarraceni, a Creta erumpentes, insulas Ægæas, orasque maris finitimas expilavere, donec, e receptaculo suo tandem a Nicephoro Phoca detrusi, aliis prædonibus locum cederent. Hoc enim tantum in insularum sorte mutatum, quod infestissimi ipsarum hostes non jam e Creta, sed ex qualibet maritima Asiæ Minoris, Syriæ vel Ægypti urbe orirentur.

Magna quidem spe et votis miseræ Cyclades armatos Occidentalium Christianorum exercitus in sacras Solymorum liberandorum expeditiones (1098-1204) prosecutæ sunt, sed mox heu! mutata in luctum lætitia, quum viderunt, nihil sibi ex sanctis illis bellis nisi novos eosdemque avarissimos hostes incumbere. Non enim exstincta Musulmanorum latrocinia, sed additæ deinceps et Christianorum, vel cum illis pugnantium, vel inter se discordantium, rapinæ. Pisani enim et Normanni et Genovenses et Veneti, invicem æmuli, atque Byzantini imperii alternis vicibus vel amici vel hostes, Ægæum mare tanquam apertum simultatibus suis campum habuerunt, et utrævis

(1) Sub Theophilo 829-842.

partes vicissent, semper Cycladibus damna belli solvenda erant.

Periit inter tantas discordias assiduaqua bella quæ penes Byzantinos Cæsares supererat in Cyclades imperii umbra, ultimumque Meletius (1) auctoritatis eorum signum narrat, creatum ab Isaaco Angelo (1185-1195) unum Paronaxiæ archiepiscopum, quum antea suum insula quæque episcopum haberet. Paulo post cecidit et ipsa Constantinopolis in Latinorum potestatem, creatumque Gallicum in oriente imperium. Naxos, ut pleræque Cycladum, Venetorum dominio ascripta, duces catholicæ fidei colonosque Italos accepit, a quibus trecentos prope annos occupata et administrata fuit; donec Turcarum fieret. Neque enim in fatis erat ut illæ Ægæi maris insulæ unquam liberæ essent.

(1) Meletius, *Geogr.*, Naxos.

APPENDIX

INSCRIPTIONES IN INSULA NAXO REPERTÆ, VEL EMENDATÆ VEL NUNC PRIMUM EDITÆ

Quæ sequuntur funereæ inscriptiones, omnes prope urbem Naxon, in valle subjacenti, a me inventæ sunt, in muris hortorum vel parietibus domorum inclusæ.

1° Ἐνοίτιε Ἀρχάνδ[ρου, χρηστὲ χαῖρε. Enœtie, Archandri fili, optime vale.

2° Πολυκρίτη Τιμαγόρου, χρηστὴ χαῖρε. Polycrita, Timagoræ filia, optima vale.

3° Σώστρω Κλεομϐρότου. Sostro, Cleombroti filia.

4° Τερτίᾳ Βαϐυλλίᾳ, Ποπλίου καὶ Πόλλα[ς, Λαοδίκη θυγάτηρ· χρηστὴ χαῖρε. Tertiæ Babylliæ, Publio et Polla natæ, filia Laodice : Optima [mater] vale.

Licetne in tertia inscriptione nomen Doricæ agnoscere gentis, Spartanæ maxime, quæ vel e Peloponneso, vel potius ex vicinis insulis, Melo et Thera, Naxon migraverit? Doricum enim sonat verbum Sostro, nomenque Cleombroti inter Lacedæmonios cognitum.

Polycrita, ex multis documentis, nomen inditur egregiæ illi puellæ per quam servata est Naxos ab armis Milesiorum : quanquam et nomen patris ejus, Timagoræ, Doricam quoque habet formam.

5° Hoc. Marmor $0^{m}42$ latum, 0,35 altum, quod in domo Naxii cujusdam, sub ipsis urbis muris, asservatur, edidit

Bœckhius(*C. I. G.*, p. 354, vol. II, nº 2416); transcripsit autem, non emendavit Le Bas (nº 2156 operis sui, p. 480). Nonnulla emendavi, quæ lectionis Bœckhianæ auctorem fugerant; aliquot tamen, annorum vi victæ, evanuerant litteræ, quas ille viderat. Quidquid vel ipse, vel ex Bœkhio supplevi, intra [ ] notatum est.

Ἐπὶ γυμ[νασιάρχου Ἀπολλοδότου τοῦ Κλε]ίνωνο[ς,
καὶ ὑπογυ[μνασιάρχου Σωκράτους τοῦ] Ἡγήτ[ορος,
Ὑγιείνου τοῦ [Ἀπολλονιάτου· ἦσαν ἠφηβῶν, ὑ]περ[αρμό-
-σινοι Ἀριστοτέλ[ης Ἀριστοτέλους, Στέφανος] Σωστρ[άτου,
Φανόδικος Σωστ[ράτου, Νίκαιος Μαρκί]ου, Θεογείτ[ων
Ζωσίμου, [Ἀπολλονίδης Ἀριστάρχου, Στασ]ίλεως Φιλονί[δου,
Πόπλιος Ἀρέλλιος [Σχρειβονίου, Ὑγίει]νος Νεωτέρου,
Εὔτυχος [Πτολεμαίου, Πυθαγόρας Νικ]ίου, Ἀριστόδημος
Θεοκλείδου, [Μενεκράτης Περίτου, Πολύμ]νηστος Περίτου,
Θεόφιλος [Θεοκλείδου, Ἡγέμων Κράτου]ς, Νικήρατος
Κτησιφῶντ[ος, Ἀγένωρ Ἀρχάνδρου, Ἡγέ]μων Δικαίου,
Κλεώνυμ[ος Κλεωνύμου, Δίκαιος Ὀλύ]μπου, Εὐήμερος
Δημητρίου· [ἦσαν δὲ παιδῶν ὑπεραρμό]σινοι Αὖλος
Καιδίκιος [Ἀγάθωνος, Θεόδοτος Εὐκ]λείδου, Σώσανδρος
Νικάνδρου, Νίκανδρος Νικάνδρου, Δημήτριος
Ἐπινίκου, Μάρκος Πόπλιος Μάρκου, Δέκμος
Αὐφίδιος Σπορίου, Σωκράτης Νικίου,
Θεόκριτος Θεοκρίτου, Αὖλος Σολφίκιος
Αὔλου, Ἀλέξανδρος Ἀρτέμωνος, Λεύκιος
Σεκτίλιος Σπορίου, Τρύφων Χαρμί-
-δου· Ὑπηρέτης Ἀρτέμων.

Ultimis reipublicæ Romanæ, vel primis Principatus temporibus, pro litterarum forma, videtur hæc inscriptio in aliquo insulæ gymnasio collocata fuisse, quæ esset quasi monumentum rerum eo anno ibi gestarum. Naxi enim, ut tota in Græcia, post amissam libertatem, ex Athenarum exemplo, florebant gymnastica exercitia, et præcipuo favore a

civibus colebantur. Divisa in duas classes, ut alibi, juvenum turba, adolescentium puerorumque. Præerat gymnasiô magistratus, quem *gymnasiarchum* dicunt, cui adstabat in aliquot civitatibus *hypogymnasiarchus*, cujus mentio invenitur tum in paucis antiquorum scriptorum locis (1), tum in inscriptione quadam insularum, a Rossio edita (2). *Hyperharmosini* autem inscribebantur, honoris causa, civium præcipuorum nonnulli, qui aliquam vel operam vel pecuniam ad gymnasia impendebant. Inter nomina ibi scripta notandum est, *Tryphon*, quod Ægyptiacum est, forsan hominis ex Ægypto Naxon, dum insula sub Ptolemæis erat, advecti. Tum plura occurrunt Latina vocabula, *Aulus*, *Publius*, *Sextilius*, *Aufidius*, *Cœdicius*, *Marcus*, *Spurius*, *Lucius* (qui Λεύκιος non Λούκιος scriptus est), *Scribonius*, sive civium Romanorum ibi degentium, sive potius libertinorum aut clientium Romani alicujus, qui Naxon, sive senatus jussu, ac publico functus munere, sive negotii causa ac privatus appulerit.

6° In Ecclesia Drymaliæ vallis, Divo Georgio olim sacrata, sexta inscriptio reperta est, supero januæ limini insculpta. Marmor candidum, 1m longum, 0m45 latum, cujus media pars, in fine inscriptionis, cardinis insertione rupta. Versus, septem et viginti numero, in quartuor series partiti, varia litterarum magnitudine et forma. Series enim singulæ annis singulis exaratæ, in modum sacrarum Deliaci vel Parthenonici Athenis thesauri inscriptionum (3). Inferior lapidis pars nuda, ut appareat, quum inscribi lapis, ineunte Rhodiorum dominatione, cœptus sit, illis abeun-

(1) Diod. Sic., V, 7. — Pausan., I, 18; VII, 3.

(2) *Inscr. ined.*, fasc. II, p. 114, n° 25, ὑπογυμνασιαρχοῦντος.

(3) Cf. τὰ εἰς τοὺς Νεμεάτας ὑπομνήματα, Pausan., vi, 13, 8 Hoc genus inscriptionum ἀναγραφή dicitur. — Sacerdotum catalogum Halicarnasseum memorat Ott. Muller, *Dor.*, I, p. 130. ex Boeckhio, *C. I. G.*, n° 2655.

tibus desierit, quatuor tantum annos Rhodios Naxum occupavisse.

Ἐπὶ δημιουργοῦ Ἀπολλωνίδου, ἱερέως δὲ τῆς Ῥόδου Κριτοβούλου, Ἀρτεμισιῶνος, ταμιεύοντος Φανοφῶντος τοῦ Χο[ρίκτ]ονος, ἦρξεν τὰ Σαραπιῆα Ἀρχέλεως Ἀριστίδου, καὶ ἀφῆκεν ἀτέλῃαν, προκυρήξας κατὰ τὸν νόμον, ἐβουθύτησέν τε, καὶ οἰνομέτρησεν πᾶσι, καὶ τὴν λοιπὴν δαπάνην ἐκ των ἰδίων ἐποιήσατο.

Ἐπὶ δημιουργοῦ Ἀντιόχου, ἱερέως δὲ τῆς Ῥόδου Ἀρχελέω, μηνὸς Ἀρτεμισιῶνος, ταμιεύοντος Θευβούλου, ἦρξαν τὰ Σαραπιῆα Πάνκριτος Κριτολάου καὶ Κλεαίνετος Ἀπολλωνίδου, καὶ ἀφῆκαν ἀτεΐλειαν, προκηρύξαντες κατὰ τὸν νόμον.

Ἐπὶ δημιουργοῦ Πανκράτου, ἱερέως δὲ τῆς Ῥόδου Ἑρμοκράτου, μηνὸς Ἀρτεμισιῶνος, ταμιεύοντος Βουλοθεμίως του Κλείνωνος [Ἀπολλονιά]του, ἦρξαν τὰ Σαραπιῆα Κλείνων Κλείνωνος, Ἀγήνωρ Ἱεροφαντίδου, καὶ ἀφῆκαν ἀτέλειαν, προκηρήξαντες κατὰ τὸν νόμον.

Ἐπὶ δημιουργοῦ Ἑρμοκράτου, ἱερέως δὲ τῆς Ῥόδου Λ]υσίου, μηνὸς Ἀρτεμισιῶνος, ταμιεύοντος Ἀγένορ]ος τοῦ Ἱεροφαντ[ίδ]ου, ἦρξαν τὰ Σαραπήια Εὐθρο]ν[ί]δ[ης Πευ]κέστου, Ἑρ[μόδωρος Ἀντιόχου, καὶ ἀφῆ]καν [ἀτέλειαν,] προκυρήξαντες κατὰ τὸν νόμον, [ἐβουθύτησά]ν τε καὶ οἰνομέτρησαν πᾶσι.

Hanc inscriptionem edidit, 1843, Curtius (*Rheinisches Museum*, philologie, neue Folge, zweiter Iahrgang, p. 93).

Δημιουργοῦ : *Demiurgus* Rhodi eponymus erat magistratus; tum Doriensibus ille erat peculiaris, et apud Thessalos,

Achæos et Cnidios reperitur [1]. Hunc igitur Naxii, ad victorum imitationem acceperant. — Ἀρτεμισιῶνος : Mensis ille Doriensibus et Ionibus communis, concordat cum aprili, ubi Serapidis festum Romæ celebrabatur (FRANZ., p. 229). — Ἦρξεν τὰ Σαραπήια : ut πανηγυράρχω, apud BŒKH., *C. I. G.*, nº 1653. — Ἀτέλειαν : libertatem et immunitatem mercatus, quæ in magnis ludorum festorumque concursibus fieri solebat; sic apud JUSTINUM, XIII, 5, legitur : « *In Olympiaco mercatu.* » — Ἐβουθύτησεν : bovem immolatum populo epulandum donavit : ATHEN., IV, p. 149. Ὅταν τοῖς ἥρωσι θύουσι, βουθυσία μεγάλη γίγνεται, καὶ ἑστιῶνται πάντες μετὰ τῶν δούλων [2]. — Οἰνομέτρησεν : ut σιτομετρέω, vini et frumenti facere largitionem; secundum descriptionem Theodosii festorum, in insula Andro celebratorum (PHILOSTR., *Imag.*, 25). — Θευβούλου pro Θεοβούλου : Similia exempla non rara, si credas KEIL, *Onom. Græc.*, p. 62. Referunt alia BEKKER, *Anecd. græc.*, 1197, 1543, et BŒCKH., *C. I. G.*, 1838, 2538 l. 17 [3]. In inscriptione Græca, in Janissariorum Musæo, Constantinopoli, legitur Θεύδωρος pro Θεόδωρος. Tum in oratione DEMOSTHENIS, πρὸς Λάκριτον, videre est (p. 203, ed. Bekker), εἰς Θευδοσίαν pro εἰς Θεοδοσίαν, Ponti Euxini urbem.

Sunt aliquot etiam in hac inscriptione scripturæ vitia, Σαραπιῆα, imo Σαραπήια, pro Σαραπιεῖα; κυρήξαντες vel κηρήξαντες pro κηρύξαντες; ἀτείλειαν, vel ἀτέλησν pro ἀτέλειαν, unde conjici potest eodem ει, η et υ modo tunc sonuisse, ita ut hoc pro illo ab indoctis scribi potuerit.

De tempore quo Serapidis cultus in imperio Romano valere cœpit, vide BŒKHIUM, *C. I. G.* v. I, p. 783, et DIONYSIUM PERIEGETEM, vol. II, p. 580, ed. Bernhardy.

(1) BŒCKH., *C. I. G.*, nºˢ 2628, 2905. — HEZYCH., δημιουργός. — EUSTATH., *Odyss.*, XVII. — DEMOST., *Pro Coron.*, Philip. epist., p. 280. — FRANZ., *Elem. epigr. græc.*, p. 323.

(2) Cf. De Teni inscriptione, BŒCKH., *C. I. G.*, vol. II, p. 261.

(3) Cf. LEBAS, p. 479, nº 2155.

LIBRORUM CATALOGUS

BARTHOLDY, *Voyage en Grèce* (fait en 1803-1804). Paris, 1807.
BARTOLOMEO DALLI SONETTI, *Isolario*, 1414-1418.
BORDONE, *Isolario*. Venise, 1547.
BOSCHINI, *L'Arcipelago*. Venise, 1658.
BRONSTEDT, *Voyage dans la Grèce*, t. I, Céos.
BRUZEN DE LA MARTINIÈRE, *Grand Dictionnaire géographique et critique*. Venise, 1737.
BUCHON, *Recherches sur la principauté de Morée*. Paris, 1845.
BUONDELMONTE, *Liber insularum arcipelagi*. Leipzig, 1824.
CHOISEUL-GOUFFIER, *Voyage pittoresque dans l'empire Ottoman*.
CORONELLI (Vincenzo), *Descrizione dell'Arcipelago*. Venise, 1696.
CURTIUS (E.), *Naxos*, acad. de Berlin, 1855.
DAPPER, *Description des îles de l'Archipel*. Amsterdam, 1703.
DIDOT (Amb.-Firmin), *Notes d'un voyage dans le Levant*, 1826.
EMERSON, *Lettres de la mer Egée*. Londres, 1829.
ENGEL, *Quæstiones Naxicæ*. Gœttingue, 1835.
Expédition scientifique de Morée, 1828.
FIEDLER, *Reise durch Griechenland*.
FINLAY (G.), *Greece under Ottoman and Venetiam domination*.
— *Medieval Greece and Trebizonde*, London, 1840.
FORBIGER, *Handbuch der alte Géographie*. Leipzig, 1844.
FRIESEMANN, *Description historique et géographique de l'Archipel*. Neuwied, 1789.
GRUTER, *De Insula Naxo*. Hall, 1833.
GUYS, *Voyaye littéraire de la Grèce*. Paris, 1783.
HANRIOT, *Dêmes de l'Attique*, 1853.
HŒLDERLIN, *Naxos Insel* : Abhandlungen der philosophischen philologischen, Classe der Kœniglichen Academie der Wissenschaften : vol. II, p. 160, année 1837.
HOPF (K.), *Geschichte der Insel Andros und ihrer Beherrscher*.. Vienne, 1858.

LACROIX, *Les Iles de la Grèce.* (*Univers pittoresque*, Didot, 1853.)
LEBAS (Philippe), *Voyage en Asie Mineure et en Grèce.*
LICHTLE, *Description de Naxos*, manuscript.
MARKALY ZALLONY, *Voyage à Tine.* Paris, 1809.
MIRABAL, *Voyage d'Italie et de Grèce.* Paris, 1698.
PASCH DE KRIENE, *Breve descrizione dell' Arcipelago*, 1773.
PAULY, *Réal Encyclopédie des klassiken Alterthums.* Stuttgard, 1848, article sur Naxos de *Westermann.*
PIACENZA, *L'Egeo redivivo.* Modène, 1688.
PORCACCI, *Le isole più famose del mondo.* Padoue, 1620.
PROKESCH, *Denkwurdigkeiten.*
RANDOLPH, *The present state of the Islands in the Arcipelago.* Oxfort, 1687.
ROSS (L.), *Reisen auf den Griechischen Inseln des Ægeischen Meeres*, in-8°, 1835-41, Stuttgard.
— *Article sur Naxos.* Kunstblatt, 1836.
— *Inscriptiones ineditæ.*
SAUGER (R.), *Histoire nouvelle des anciens ducs et autres seigneurs de l'Archipel.*
SIGISMOND DE KRONECK, *Minos maris dominus.* Argentorati, 1656.
SPON (J.) et WHELER (G.), *Voyage d'Italie, Dalmatie, Grece et Levant* (fait en 1675-6). La Haye, 1724.
THÉVENOT, *Voyage dans le Levant.*
TOURNEFORT (Pitton de), *Relation d'un vogage dans le Levant.*
Transactions of the Royal Society of litterature, 2e série, vol. VI, p. 65, 155.
VAN KINSBERGEN, *Voyage en Archipel.*

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. XVII Kal. April. ann. MDCCCLXVII,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

PATIN.

Typis mandetur,

Academiæ Parisiensis Rector,

A. MOURIER.

INDEX RERUM

NICE. — Typ. V.-Eugène GAUTHIER et Ce, descente de la Caserne, 1.

ILE DE NAXOS



Lith. Alf. Robaut à Douai

Fig. I.

ΕΝΟΙΤΙΕΑΡΧΑΝΔ
ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ

Fig. II.

ΠΟΛΥΚΡΙΤΗ
ΤΙΜΑΓΟΡΟΥ
ΧΡΗΣΤΗ
ΧΑΙΡΕ

Fig. V.

ΕΠΙΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΟΥΑΠΟΛΛΟΔΟΤΟΥΤΟΥΚΛΕΙΝΩΝΟΣ
ΚΑΙΥΠΟΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΟΥΣΩΚΡΑΤΟΥΣ ΤΟΥ ΗΓΗΤΟΡΟΣ
ΥΓΙΕΙΝΟΥΤΟΥΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΟΥΗΣΑΝ ΗΦΗΒΩΝΥΠΕΡΑΙΜΟ
ΣΙΝΟΙ ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣΣΤΕΦΑΝΟΣ ΣΩΣΤΡΑΤΟΥ
ΦΑΝΟΔΙΚΟΣΣΩΣΤΡΑΤΟΥ ΝΙΚΑΙΟΣ ΜΑΡΚΟΥΘΕΟΓΕΙΤΩΝ
ΖΩΣΙΜΟΥΑΠΟΛΛΩΝΙΔΗΣ ΑΡΙΣΤΑΡΧΟΥ ΣΤΑΣΙΛΕΩΣΦΙΛΩΝΙΔΟΥ
ΠΟΠΛΙΟΣΑΡΕΛΛΙΟΣ ΣΚΡΕΙΒΩΝΙΟΥ Υ ΓΙΕΙΝΟΣ ΝΕΩΤΕΡΟΥ
ΕΥΤΥΧΟΣΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΠΥΘΑΓΟΡΑΣΝΙ ΚΙΟΥΑΡΙΣΤΟΔΗΜΟΣ
ΘΕΟΚΛΕΙΔΟΥΜΕΝΕΚΡΑΤΗΣΠΕΡΙΓΟΥΠΟΛΥΜΝΗΣΤΟΣ ΠΕΡΙΓΟΥ
ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΘΕΟΚΛΕΙΔΟΥ ΗΓΕΜΩΝΚΡΑΤΟΥΣΝΙΚΗΡΑΤΟΣ
ΚΤΗΣΙΦΩΝΤΟΣ ΑΓΕΝΩΡ ΑΡΧΑΝΔΡΟΥ ΗΓΕΜΩΝΔΙΚΑΙΟΥ
ΚΛΕΩΝΥΜΟΣ ΚΛΕΩΝΥΜΟΥΔΙΚΑΙΟΣΟΛΥΜΠΟΥΕΥΗΜΕΡΟΣ
ΔΗΜΗΤΡΙΟΥΗΣΑΝΔΕΠΑΙΔΩΝΥΠΕΡΑΡΜΟΣΙΝΟΙ ΑΥΛΟΣ
ΚΑΙΔΙΚΙΟΣ ΑΓΑΘΩΝΟΣ ΘΕΟΔΟΤΟΣΕΥΚΛΕΙΔΟΥΣΩΣΑΝΔΡΟΣ
ΝΙΚΑΝΔΡΟΥ ΝΙΚΑΝΔΡΟΣ ΝΙΚΑΝΔΡΟΥΔΗΜΗΤΡΙΟΣ
ΕΠΙΝΙΚΟΥ ΜΑΡΚΟΣ ΠΟΠΛΙΟΣ ΜΑΡΚΟΥ ΔΕΚΜΟΣ
ΑΥΦΙΔΙΟΣ ΣΠΟΡΙΟΥ ΣΩΚΡΑΤΗΣ ΝΙΚΙΟΥ
ΘΕΟΚΡΙΤΟΣ ΘΕΟΚΡΙΤΟΥ ΑΥΛΟΣΣΟΛΦΙΚΙΟΣ
ΑΥΛΟΥΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΑΡΤΕΜΩΝΟΣ ΛΕΥΚΙΟΣ
ΣΕΞΤΙΛΙΟΣ ΣΠΟΡΙΟΥ ΤΡΥΦΩΝ ΧΑΡΜΙ
ΔΟΥ ΥΠΗΡΕΤΗΣ ΑΡΤΕΜΩΝ

Lith. Alfred Robaut à Douai.

Fig. III.

ΣΩ Σ ΤΡΩ
ΚΛΕΟΜΒΡΟΤΟΥ

Fig. IV.

ΕΡΤΙΑΒΑΒΥΛΛΙΑ
ΠΟΠΛΙΟΥΚΑΙΠΟΛ
ΛΑΟΔΙΚΗΘΥΓΑΤΗΡ
ΧΡΗΣΤΗ ΧΑΙΡΕ

Fig. VI.

ΕΠΙΔΗΜΙΟΥΡΓΟΥΑΠΟΛΛΩΝΙΔΟΥΙΕΡΕΩΣΔΕΤΗΣΡΟ
ΔΟΥΚΡΙΤΟΒΟΥΛΟΥΑΡΤΕΜΙΣΙΩΝΟΣΤΑΜΙΕΥΟΝ
ΤΟΣΦΑΝΟΦΩΝΤΟΣΤΟΥΧΟΡΙΚΤΟΝΟΣΗΡΞΕΝΤΑ
ΣΑΡΑΠΙΗΛΑΡΧΕΛΕΩΣΑΡΙΣΤΙΔΟΥΚΑΙΑΦΗΚΕΝ
ΑΤΕΛΗΑΝΠΡΟΚΥΡΗΞΑΣΚΑΤΑΤΟΝΝΟΜΟΝΕΒΟΥ
ΘΥΤΗΣΕΝΤΕΚΑΙΟΙΝΟΜΕΤΡΗΣΕΝΠΑΣΙΚΑΙΤΗΝΛΟΙ
ΠΗΝΔΑΠΑΝΗΝΕΚΤΩΝΙΔΙΩΝΕΠΟΙΗΣΑΤΟ

ΕΠΙΔΗΜΙΟΥΡΓΟΥΑΝΤΙΟΧΟΥΙΕΡΕΩΣΔΕ
ΤΗΣΡΟΔΟΥΑΡΧΕΛΕΩΜΗΝΟΣΑΡΤΕΜΙ
ΣΙΩΝΟΣΤΑΜΙΕΥΟΝΤΟΣΘΕΥΒΟΥΛΟΥ
ΗΡΞΑΝΤΑΣΑΡΑΠΙΗΑΠΑΝΚΡΙΤΟΣΚΡΙ
ΤΟΛΑΟΥΚΑΙΚΛΕΑΙΝΕΤΟΣΑΠΟΛΛΩ
ΝΙΔΟΥΚΑΙΑΦΗΚΑΝΑΤΕΙΛΕΙΑΝ
ΠΡΟΚΗΡΗΞΑΝΤΕΣΚΑΤΑΤΟΝΝΟΜΟΝ

ΕΠΙΔΗΜΙΟΥΡΓΟΥΠΑΝΚΡΑΤΟΥΙΕΡΕΩΣΔΕ
ΤΗΣΡΟΔΟΥΕΡΜΟΚΡΑΤΟΥΜΗΝΟΣΑΡΤΕΜΙ
ΣΙΩΝΟΣΤΑΜΙΕΥΟΝΤΟΣΒΟΥΛΟΘΕΜΙΩΣΤΟΥ
ΚΛΕΙΝΩΝΟΣΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΟΥΗΡΞΑΝΤΑΣΑΡΑ
ΠΙΗΑΚΛΕΙΝΩΝΚΛΕΙΝΩΝΟΣΑΓΗΝΩΡΙΕΡΟ
ΦΑΝΤΙΔΟΥΚΑΙΑΦΗΚΑΝΑΤΕΛΕΙΑΝΠΡΟΚΗ
ΡΗΞΑΝΤΕΣΚΑΤΑΤΟΝΝΟΜΟΝ

ΕΠΙΔΗΜΙΟΥΡΓΟΥΕΡΜΟΚΡΑΤΟΥΙΕΡΕΩΣΔΕΤΗΣΡΟΔΟΥ
ΛΥΣΙΟΥΜΗΝΟΣΑΡΤΕΜΙΣΙΩΝΟΣΤΑΜΙΕΥΟΝΤΟΣΑΓΕ
ΝΟΡΟΣΤΟΥΙΕΡΟΦΑΝΤΙΔΟΥΗΡΞΑΝΤΑΣΑΡΑΠΗΙΛΕΥ
ΘΡΟΝΙΔΗΣΠΕΥΚΕΣΤΟΥΕΡΜΟΔΩΡΟΣΑΝΤΙΟΧΟΥΚΑΙ
ΑΦΗΚΑΝΑΤΕΛΕΙΑΝΠΡΟΚΥΡΗΞΑΝΤΕΣΚΑΤΑΤΟΝ
ΝΟΜΟΝΕΒΟΥΘΥΤΗΣΑΝΤΕΚΑΙΟΙΝΟΜΕΤΡΗΣΑΝΠΑΣΙ

Imp. Lith. Alfred [illegible]

LIBRAIRIE CLASSIQUE D'ÉDUCATION, DE DROIT ET DE JURISPRUDENCE.

ERNEST THORIN, ÉDITEUR

Boulevard Saint-Michel, 58, Paris.

Extrait du Catalogue des Ouvrages de fonds.

OUVRAGES HISTORIQUES DE M. C. RAFFY.

Nouvelles répétitions écrites d'histoire et de géographie pour les baccalauréats ès lettres et ès sciences, les Ecoles de Saint-Cyr et Forestière, d'après les derniers programmes de 1865; 1 fort v. in-12, avec cartes et *memento*. 5 fr.

Cet ouvrage, conforme aux programmes de 1865, comprend : 1° *Histoire moderne*, 1643-1815 (cours de rhétorique); 2° *Histoire contemporaine*, 1815-1864 (cours de philosophie); 3° *Géographie particulière de l'Europe* (cours de troisième); 4° *Géographie particulière de l'Asie, de l'Afrique, de l'Amérique et de l'Océanie* (cours de seconde); 5° 22 *cartes géographiques* et 18 *tableaux synoptiques de récapitulation* (memento).

Répétitions écrites d'histoire universelle, depuis la création du monde jusqu'en 1866 inclusivement, à l'usage de toutes les classes, et contenant la réponse à toutes les questions du programme de l'enseignement spécial, avec tableaux, cartes et *memento*, in-12, 6e édit. 5 fr.

Répétitions écrites d'histoire de France, depuis les temps les plus reculés jusqu'en 1866, contenant la réponse au programme de l'enseignement spécial (3me année), avec tabl. et cartes, in-12, 5e éd. 4 fr. 50

Lectures historiques, ou choix des plus beaux fragments des meilleurs historiens anciens et modernes, français et étrangers, disposés selon l'ordre des programmes de l'enseignement et reliés par des sommaires, véritable *Cours d'histoire universelle* par les grands maîtres, à l'usage des familles, des maisons d'instruction publique et des distributions de prix. 7 vol. in-12, 3me éd., augmentée de plus de cent nouveaux fragments, etc.

- 1° Sixième : *Histoire sainte et Orient*. 2 fr.
- 2° Cinquième : *Grèce*. 2 fr. 50
- 3° Quatrième : *Rome*. 3 fr.
- 4° Troisième : *France et moyen âge*, 395-1328. 2 fr. 50
- 5° Seconde : *France, moyen âge et temps modernes*, 1328-1648. 3 fr.
- 6° Rhétorique : *France et temps modernes*, 1648-1815. 3 fr. 50
- 7° Philosophie : *Histoire contemporaine*, 1815-1864. 3 fr. 50

Cet ouvrage, devenu classique dès son apparition, a été honoré deux fois de la souscription ministérielle pour les bibliothèques scolaires et communales; il a été successivement porté, comme pouvant être donné en prix, sur les listes officielles du ministère de l'instruction publique et de la ville de Paris. — Le tome VII n'a été ajouté qu'en 1865-1866, à la suite des mesures relatives à l'enseignement de l'*Histoire contemporaine*. Ensemble. 20 fr.

Cours de géographie physique et historique, à l'usage de toutes les classes dans les divers établissements d'instruction publique, 1 vol. in-12, 3e édition, avec 30 cartes sur 8 aciers. 3 fr.

Cahiers de géographie :

Cours de troisième : géographie particulière de l'Europe, avec cartes. 1 fr.

Cours de seconde : géographie particulière de l'Asie, de l'Afrique, de l'Amérique et de l'Océanie, avec cartes. 1 fr.

Cours de rhétorique, réunion des deux précédents, révision. 2 fr.

Lectures géographiques, 5 vol. in-12, 15 fr.

Chaque volume séparé. 3 fr.

Pour se faire une idée de l'intérêt de ce travail, il faut le parcourir. M. Raffy y a suivi le même système que pour ses *Lectures historiques*, c'est-à-dire qu'il a mis à contribution les plus grandes notabilités parmi les écrivains géographes. L'attrait est immense, et l'utilité est peut-être plus grande encore. Il n'y aura pas une famille qui voudra se passer de ce recueil. (*Le Conseiller des dames et des demoiselles*.)

MYTHOLOGIE GRECQUE ET ROMAINE

Ou Introduction facile et méthodique à la lecture des poëtes, à l'usage des pensionnats, des maisons religieuses et de tous les établissements d'instruction, par Jean Humbert, correspondant de l'Institut de France, membre des académies de Nancy, Besançon, Marseille, etc. Ouvrage autorisé par l'Université, adopté par un très-grand nombre d'établissements d'instruction en France et à l'étranger. 4e édition, revue, corrigée et considérablement augmentée. 1 joli vol. in-12. 2 »

Ce petit livre a été adopté par beaucoup de maisons religieuses qui avaient d'abord répugné à permettre l'enseignement mythologique. Il se donne également en prix chaque année. L'auteur, avec une prudente réserve, donne des notions suffisantes pour rendre facile et sans danger la lecture des poëtes. Rien de plus agréable, rien de plus instructif que la lecture de ce livre. Il est certainement le plus détaillé que nous ayons sur cette matière pour l'éducation de la jeunesse.

LIVRES POUR L'INSTRUCTION PRIMAIRE.

ALPHABET CHRÉTIEN, ou Règlement pour les enfants qui fréquentent les Ecoles chrétiennes. In-18, cart.; par unité : 30 c.; le cent. 18 »

ALPHABET SYLLABIQUE, ou Méthode ingénieuse pour apprendre à lire aux enfants. In-12, piqué, rogné; par unité : 20 c.; le cent. 13 »

BIBLE, par le sieur de Royaumont, prieur de Sombreval. In-12, basane, tranche marbrée; par unité : 1 fr. 25 c.; le cent. 80 »

ÉPITRES ET ÉVANGILES, à l'usage des Ecoles chr. In-18, cart.; par unité : 50 c.; le cent. 30 »

EXAMEN DE CONSCIENCE, destiné principalement à l'usage de la jeunesse, suivi de prières pour la confession, la communion et autres. In-18 (64 p.), piqué, rogné; par unité : 20 c.; le cent. 10 »

HISTOIRE SAINTE (Abrégé de l'), par demandes et par réponses. In-18, cartonné; par unité : 40 c.; le cent. 25 »

IMITATION DE JÉSUS-CHRIST, par le sieur de Beuil. In-12, basane, tranche marbrée; par unité : 1 fr. 25 c.; le cent. 80 »

MÉTHODE DE LECTURE, par Peigné. In-12, cartonnée; par unité : 35 c.; le cent. 22 »

PSAUTIER DE DAVID, suivi des hymnes qui se chantent dans les différents temps de l'année et des prières durant la messe, à l'usage des Ecoles chrét. In-18, cart.; par unité : 50 c.; le cent. 30 »

BONTEMPS (l'abbé). Catéchisme par demandes et par réponses. In-12. 1 50

OUVRAGES DIVERS.

APIS ROMANA, ou Recueil mensuel de morceaux de littérature latine, en vers et en prose, tirés des auteurs contemporains et des siècles précédents. In-8°. — Abonnement annuel pour la France. 6 »

BOURBOULON. Géographie physique et politique de la France, avec l'étude des voies de communication. Grand in-8°. 4 50

BONIEUX. Critique des tragédies de Corneille et de Racine par Voltaire. 1 vol. in-8°. 5 »

— Malebranchii sententia de causis occasionalibus. In-8°. 1 50

GRÉARD, inspecteur d'académie. De litteris et litterarum studio quid censuerit L. Annæus Seneca philosophus. In-8°. 1 50

LOISEAU, docteur ès lettres, professeur au lycée d'Angers. De modo subjunctivo, grammatica, historica et philosophica disquisitio. In-8°. 1 50

— Etude historique et philologique sur Jean Pillot et sur les doctrines grammaticales du XVIe siècle. In-8°. 3 »

LECLÈRE. Etudes classiques de philosophie conformément au nouveau programme de 1865, 2e édition. In-12. 2 »

PERROT (Georges), docteur ès lettres, ancien membre de l'École française d'Athènes, etc. De Galatia, provincia romana. In-8°. 3 »

— Essai sur le Droit public d'Athènes. 1 vol. in-8°. 6 »

PRÉVOST (Louis), docteur ès lettres. Programme d'un Cours élémentaire de

philosophie, ou Tableaux synoptiques de la philosophie et de son histoire, avec l'explication en regard, l'indication des ouvrages à consulter et un appendice contenant l'analyse sommaire des auteurs prescrits. Ouvrage rédigé conformément au nouveau plan d'études et spécialement destiné aux aspirants aux baccalauréats ès lettres et ès sciences. In-4°. 3 50

PEIGNOT. L'homme de bien. 1 vol. in-12. 1 »

GIDE (Paul), agrégé à la Faculté de droit de Paris. Etude sur la condition privée de la femme dans le droit ancien et moderne, et en particulier sur le sénatus-consulte Velléien (couronné par l'Institut). 1 vol. in-8° cavalier. 8 »

ROSCHACH. Géographie de la Haute-Garonne, suivie d'une étude sommaire de la France, à l'usage de toutes les maisons d'enseignement. In-18. 1 »

KAEPPELIN, officier de l'instruction publique. Dieu, l'univers et l'homme. Essais de philosophie. 4e édition, considérablement augmentée. 1 vol. in-18 jésus. 2 »

BELLANGER, professeur au lycée de Vendôme. De l'autorité du cœur unie à celle de la raison en faveur de la vie future et de l'incarnation. 1 vol. in-12.

GOUDOUNECHE (L.), ancien chef d'institution. Manuel de morale et d'économie populaires. 1 vol. in-12. 1 50

PETIT (L.), docteur ès lettres. Essai sur la vie et la correspondance du sophiste Libanius. In-8°. 4 »

FAUCHE. Le Mahabharata, poëme épique, traduit pour la première fois du sanscrit en français. Tome I à VI. Grand in-8°. Chaque vol. 10 »

— Œuvres complètes de Calidasa, traduites pour la première fois du sanscrit en français. 2 vol. grand in-8°. 20 »

FOUCAUX (Ph.-Éd.), professeur au collége de France. Histoire du Bouddha Çakya-Mouni, traduite du tibétain. 1 vol. in-4°. 12 »

— Légende d'Ilvala et Vatapi, épisode du Mahabharata, traduite pour la première fois du sanscrit en français. In-8°. 1 50

— Le Mahabharata, onze épisodes tirés de ce poëme épique, traduits pour la première fois du sanscrit en français. In-8°. 7 50

— Vikramorvaci, Ourvaci donnée pour prix de l'héroïsme, drame en 5 actes, par Calidasa, traduit du sanscrit. In-8°. 3 »

NÈVE (F.), professeur à l'Université de Louvain. Essai sur le mythe des Ribhavas, premier vestige de l'apothéose dans le Véda, avec le texte sanscrit et la traduction française des hymnes adressées à ces divinités. 1 vol. in-8°. 8 »

— Le Bouddhisme, son fondateur et ses écritures. In-8°, de 55 pages. 2 50

— Etudes sur les hymnes du Rig Véda, avec un choix d'hymnes traduites pour la première fois en français. In-8°. 3 »

TAMPUCCI. Dictionnaire pratique des rimes françaises, classées d'après leur ordre naturel de sons ou voyelles, et divisées en masculines et féminines, précédées d'un traité nouveau de versification. 2e édition. In-12. 3 »

FAUGÈRE (P.). Lettres de la mère Agnès Arnauld, abbesse de Port-Royal, publiées sur les textes authentiques, avec une introduction, par Pr. Faugère. 2 beaux vol. in-8°. 14 »

ETEMARE (l'abbé d'). Principes pour l'intelligence de l'Ecriture sainte et Recueil de divers écrits sur le même sujet. In-12. 3 »

— Histoire de la Religion représentée dans l'Ecriture sainte sous divers symboles. 2 vol. in-8°. 10 »

— Ressources de la piété dans les maux de l'Eglise. In-12. 1 »

— Explication du discours de Notre-Seigneur Jésus-Christ après la Cène. In-12. 1 50

— Explication de l'Apocalypse. 1866, 1 fort vol. in-18 jésus. 4 »

MOIS DE MARS offert aux âmes pieuses par une ancienne élève du Sacré-Cœur, enfant de Marie (Mlle Mathilde de Montlezun). Ouvrage approuvé par Mgr l'Archevêque de Paris. 2e éd. 1 vol. in-18. 1 »

MOIS DE MAI d'une enfant de Marie, par l'auteur du *Mois de Mars* offert aux âmes pieuses (Mlle Mathilde de Montlezun). 2e éd. 1 joli vol. in-18. 1 »

MOIS DE JUIN, ou le cœur du divin Maître contemplé dans l'Eucharistie, par l'auteur du *Mois de Mars* offert aux âmes pieuses (Mlle Mathilde de Montlezun). 1 vol. in-18. 1 »

PETITES MÉDITATIONS d'une enfant de Marie, ou Méditations sur le saint Evangile, pour les âmes qui désirent ranimer leur confiance et leur amour

envers Notre-Seigneur Jésus-Christ, par l'auteur du *Mois de Mars* et du *Mois de Mai* (Mlle Mathilde de Montlezun). 2e édit. 1 joli vol. in-18. 1 25

AUX AMES PIEUSES qui se plaignent de ne pas savoir méditer, par l'auteur du *Mois de Mars* offert aux âmes pieuses. In-32. » 25

LUDOLPHE LE CHARTREUX

VIE DE N. S. JÉSUS-CHRIST

Traduite nouvellement sur le texte latin

TROISIÈME ÉDITION

PRÉCÉDÉE D'UNE INTRODUCTION PAR Mgr MERMILLOD, ÉVÊQUE D'HÉBRON.

Deux beaux vol. in-12 brochés : 5 fr. ; rel. en basane : 2 fr. 50 c. en sus.

LUDOLPHE LE CHARTREUX vivait dans la première moitié du XIVe siècle. Dans la paix et le silence de la solitude, il lut l'Evangile avec sa foi et son cœur. Il s'inspira des commentaires des saints Pères, et il nous a donné les pages les plus lumineuses et les plus tendres qui aient été écrites sur le Rédempteur. Son admirable ouvrage, reproduit par l'imprimerie dès 1474, comptait déjà quatre éditions latines en 1500, et il en eut un beaucoup plus grand nombre dans le courant du XVIe siècle. Une première traduction avait paru en 1490 ; elle fut retouchée en 1580, et le livre, bientôt en possession de la faveur publique, fut goûté des âmes pieuses comme le livre de l'*Imitation*, que le même siècle avait vu éclore. Au nombre des lectures que saint François de Sales recommande à Mme de Chantal, nous voyons en première ligne *Ludolphe le Chartreux*, *Gerson* et *Sainte Thérèse*. Et cependant, l'ancienne traduction, écrite d'une manière un peu pénible, faisait perdre à ce chef-d'œuvre de sentiment une partie de son charme.

Celle que nous publions aujourd'hui, avec une introduction de Monseigneur Mermillod, a été considérée par ce prélat comme un des plus grands services rendus à la piété. La grâce et l'onction qui y sont répandues montrent que le traducteur a vécu dans l'intimité du pieux solitaire et dans le doux voisinage de Notre-Seigneur Jésus-Christ. Le style révèle une âme où se combinent la fermeté de la foi et les délicates nuances de la tendresse chrétienne. Il y a des mots ravissants que le cœur d'une mère ou d'un prêtre pouvait seul trouver.

L'épiscopat français a pris sous son patronage le livre de Ludolphe, et beaucoup de maisons religieuses l'ont adopté comme texte de lectures et de méditations quotidiennes.

LES RÉCITS DU CATÉCHISTE

Par Mlle Calixte Gaillard, ancienne associée du Catéchisme de persévérance, à Saint-Sulpice. Précédés d'une notice sur la vie de l'auteur. 2e édition.

1 joli vol. in-32. 1 fr. 50.

Ce charmant volume a obtenu le plus légitime succès. Il contient de ravissantes historiettes où respire le sentiment de la piété la plus grande uni au charme de la narration. Les anciennes associées de Mlle Gaillard au Catéchisme de persévérance, à Saint-Sulpice, se rappellent encore avec émotion l'intérêt qu'on goûtait à ces récits, tels que : *Le Père de la Merci*, *les Orphelins de la Vendée*, *l'Enfant de la Madone*, *la Famille du Bûcheron*, *Etienne*, *un Ex-Voto*, *le Baptême de l'Indien*, *un Asile pendant la Terreur*, *les Vieillards de la Cabane*.


ESSAI SUR LES FÊTES RELIGIEUSES

ET LES TRADITIONS POPULAIRES QUI S'Y RATTACHENT, PAR EUG. CORTET.

1 vol. in-12. 3 fr.

Le Jour de l'an ; — L'Epiphanie ; — Le Carnaval ; — Le Carême ; — La Mi-Carême ; — Le Dimanche des Rameaux ; — La Semaine Sainte ; — Pâques ; — Le Mois de Mai ; — Les Rogations ; — La Pentecôte ; — Saint-Médard ; — La Fête-Dieu ; — La Saint-Jean ; — La Toussaint et le Jour des Morts ; — Noël.

Toulouse, imprimerie de A. CHAUVIN, rue Mirepoix, 3.




AH 5134.5
De insula Naxo.
Widener Library
004687066
3 2044 080 861 941